SUMMARIUM

Postulatio Christianorum degentium in Curia Pekinensi, eorumdemque iurata Testimonia.

Num. I.
Testimonia ex Prouincia *Pecheli*, seu *PeKing* Christianorum.

NOs Pao Vitus, Quon Ioannes, Ciao Paulus, & cæteri Christiani degentes in Vrbe Pekinensi, cùm contra sensum genuinum librorum Classicorum Sinarum, Ritus nostri accusati sint superstitionis; duximus operæ pretium, nostram mentem scripto hoc, iuramento firmato aperire; rogareque Reuerendos Patres, nostro nomine supplicent Summo Pontifici, vt ad id dignetur attendere, miseratus statum, quò adducta est res, ad salutem animarum nostrarum maximè pertinens.

A
Rogant, vt eorum iuramentum, & libellus supplex Sanctissimo D. Nostro offeratur.

Nos equidem ab infantiâ cępimus studere libris nostris, ac de eorum doctrina inter nos differere: postea vbi accessimus ad studium librorum D. Legis, cognouimusque illius cum libris nostris Classicis consensum, tanto maiori cum hilaritate Sanctam hanc doctrinam amplexi, Religionem Christianam suscepimus. Non ita pridem, cùm obseruassemus, omnes Missionarios, quotquot in hac Vrbe degunt, summo studio, ac diligentiâ inuestigâsse sensus veros, tum litterarum *Tien*, idest, Cælum, seu Cæli Dominus, & *Xam Ti*, idest, supremus Cæli Dominus, tum Rituum, quibus coluntur Cumfucius, ac Progenitores: Deinde eosdem Missionarios anno Regni Imperatoris *Kam Hi* 39. Luna 10. suppliciter petijsse ipsius Imperatoris super ijs sententiam: Denique pro obtinenda insuper Magnatum, ac præcipuorum Doctorum sententia recurrisse ad ipsos Colaos, & alios Primates, necnon ad spectatissimos maioris doctrinæ famâ Viros, à quibus scripta, & sigillis munita Testimonia acceperunt: hæ omnes progressiones nos valdè anxios, & sollicitos habuerunt: Causam postea cognouimus, cùm scilicet è Prouincijs huc aduenientes Christiani nobis retulissent, aliorum Ordinum Missionarios secum sic statuisse, sensum duarum litterarum *Kim Tien*, idest, colendum Cælum, non secùs, ac Ritus, quibus coluntur Progenitores, ac ipse Cumfucius, contrarios esse S. Legis vsibus; Alij verò è Prouincia Fokien profecti hîc narrâssent, Illustrissimum D. Episcopum Cononen-

B
Ab infantia studuerunt suis libris Sinicis.

C
Petita est sententia Imperatoris, & Magnatum, ac præcipuorum Doctorum, & accepta sunt à primatibus testimonia scripta, eorum sigillis munita.

D
Innotescit per Christianos PeKinum venientes prohibitio horum rituum, facta in Prouincia *FoKien*, & mala inde exorta.

nonensem Decreto prohibuisse Christianis, ne pro Deo significando litteris *Tien*, & *Xam Ti* vterentur, neue Cumfucij, ac Parentum Defunctorum Tabellas colerent; damnasseque illos Ritus, vt alienos à S. Lege, ac superstitiosos: quo Decreto animos Christianorum Fokiensium fuisse summopere perculsos, atque afflictos; infidelium verò pedes veluti compedibus constrictos, ne ad S. Fidem suscipiendam deinceps accederent; eorumque linguam è contra, veluti duplo magis, quàm antea, solutam ad maledicendum Diuinæ Legi.

E
Illustrissimus Cononensis nititur authoritate paucorum hominum, malè intelligentium veram rationem rituum Sinicorum,

Et sanè si huius Decreti capita deferrentur vel ad Tribunalia subalterna ipsius loci, vel ad Superiora Pro-Regis vtriusque, nempe *Fuyuen*, vel, *Cum To* Tribunalia, indeque ad Curiam, & ad ipsum Imperatorem, quonam pacto posset S. Lex hîc ampliùs consistere? Itaque vbi planè cognouimus eius rei rationem, & resciuimus, totum hoc negotium inde ortum, quia scilicet Pastor Christianorum Prouinciæ Fokiensis, nixus authoritate paucorum hominum, malè intelligentium veram rationem Rituum Sinicorum, & temerè testantium Ritus, quibus Sinæ colunt Cumfucium, ac Progenitores, non esse rectæ rationi conformes, causam hanc detulerat Romam ad Summum Pontificem, eiusque Tribunalia Ecclesiastica, cum eiusmodi accusatione, quæ Sinas apud omnia Regna Europæa superstitionis reos efficiat: considerantes maximam Sinarum animarum ruinam illinc certò exurgere, summo timore perculsi sumus, veriti scilicet, ne si prædicti Ritus ob præconceptam sine ratione sinistram de ijs opinionem, & ob ignorantiam necessariæ, quam habent cum Imperij legibus, connexionis, damnentur, ac prohibeantur; illud accersat maximam calamitatem, & eiusmodi perturbationem, quæ postea vix, ac ne vix quidem sedari vnquam possit.

F
Pericula, quæ possunt esse ex prohibitione horum rituum;

G
Præstant iuratum testimonium, petűt accuratum causæ examen, & implorant Sanctæ Sedis erga Sinas commiserationem.

Nos hîc tanta mala perspicientes, quomodo possumus silere? His ergo de causis inducti, omnes decreuimus, cum iuramento super ea re testari, rogando singulos PP. Missionarios, vt deferri curent nostrum hoc Testimonium ad supremum Summi Pontificis Tribunal, pro obtinendo accuratissimo huius Causæ examine, & allicienda Sanctissimi Parentis super Sinas commiseratione.

H
Extat data ab Imperatore declaratio horum rituum, & testimonia præcipuo-

Etiamsi iam extet pro fundamento hac in Causa Imperatoris nostri declaratio, vnà cum sententia præcipuorum Magnatum, ac Doctorum huius Imperij, qui dictorum Rituum sensum suis scriptis, ac sigillis firmârunt: Nos, qui in

in hac Curia degimus, bene periti Rituum, ac legum, tum veterum, tum recentiorum, cùm conscij nobis simus eorum, quæ defendimus, audemus omnes conscriptis nominibus, coram Diuinæ Maiestatis Throno cum iuramento affirmare. Primo Cumfucium non haberi à Sinis instar Idolorum *Foe Pu Sa*, aut aliorum spirituum, qui coluntur ab Infidelibus. Secundò Cumfucium coli veluti Doctorem, ac Magistrum. Tertiò Ritus, quibus nunc coli solet Cumfucius, & qui ab antiquo continua successione fuerunt determinati, institutos esse solùm ad agendas ipsi grates, ob præclaram doctrinam ab eo posteris relictam: nempe Imperator ipse flexo poplite Cumfucium veneratur, & Litterati omnes, qui eius doctrinæ beneficium acceperunt. Cæterùm in dictis Ritibus nullum inesse petitionis, aut expectationis vestigium. Quoad legem, quæ præscribit cultum Cumfucij, tanquam Magistri, si Ritus, quibus ille colitur quouis in loco, non omnino consonarent cum illa lege, non vtique id auderemus cum iuramento affirmare.

puorum Magnatū, ac Doctorum, corū subscriptionibus, ac sigillis firmata.

I

Iurant, Confusium non coli instar Idolorum, aut aliorum Spirituum, qui coluntur ab infidelibus, sed solùm vt Magistrū, ad agendas ipsi gratias ob doctrinam posteris relictam.

K

Iurant, in ritibus Confusij nihil peti, nec exspectari.

Insuper conscriptis nominibus nostris coram Diuinæ Maiestatis Throno audemus cum iuramento affirmare. Primò Ritus, quibus siue Imperator, siue cæteri vsque ad infimam plebem (quorum vna est, atque eadem ratio) colunt Progenitores Defunctos, eò institutos fuisse, vt filij, ac nepotes affectum, & gratitudinem illis testentur, seque diutiùs illorum memores exhibeant, ob procreationis, & educationis beneficia: atque hoc cultu illis mortuis seruire tantummodo, veluti seruirent viuis; neque similiter in hoc quidquam inesse petitionis, aut spei. Secundò. In Primogenitorum Tabellis scribi solere eorum nomina eo consilio tantùm, vt post mortem Parentum, filij hoc pacto vtcumque suppleant eorum vocem, ac vultum, quos etsi iam non audiunt, nec vident, præsentiā tamen illarum Tabellarum excitari in se sentiunt filiales amoris, & gratitudinis erga eos affectus, qui quidem post longam annorum seriem tandem extinguuntur, nisi frequens dictarum Tabellarum conspectus eos identidem suscitaret. Porrò horum Rituum institutio cœpit ab ipsis libris nostris Classicis, in quibus eorum fundamentum extat. Sensus cæterorum Rituum, siue qui ad Parentationem, siue qui ad oblationes, aut Cæremonias pro Defunctis obiri solitas, spectant, idem planè est, ac præcedentium, atque adeò de hoc similiter audemus cum iuramento testari.

L

Iurant, Defunctos, Progenitores solùm coli, ex filiali affectu, & gratitudine, quasi si adhuc viuerent.

M

Iurant, à Defunctis nihil peti, aut sperari.

N

Iurant, in Tabellis Progenitorum scribi eorum nomina ad filialem solùm affectum, & memoriam parentum excitandam.

O

Alij ritus superstitiosi, si misceantur, non habendi sunt pro legitimis.

Verùm alij etiam sunt Ritus quidam, quos non audemus itidem cum iuramento propugnare; neque enim Sinæ omnes obseruant genuinos Imperij Ritus. Et verò præter eos, quorum mentem, Secta peruersa, addicta Cultui Idoli *Fe*, peruertit, sunt bene multi homines stolidi, qui auitam colendi Progenitorum rationem, ac Ritum, cum Ritibus Sectarum *Fe*, & *Tao* sic permiscuerunt, vt à vero, & legitimo Ritu defecerint, & modus, quo siue Cumfucium, siue maiores Defunctos, colunt, non sit habendus pro legitimo, & genuino Sinarum cultu.

P

Qui non honorat Confusium, dicitur defecisse à Magistro, & qui non habet Progenitorum Tabellas, dicitur oblitterasse eorum memoriam. Varia item pericula timenda ex prohibitione horum rituum.

Cæterùm diligenter obseruandum est, dictam colendi Confucium, ac Progenitores, consuetudinem omitti omnino non posse, adeò, vt, qui non veneratur Confucium, dicatur defecisse à Magistro; qui non adhibet Progenitorum Tabellas, dicatur obliteràsse Progenitorum memoriam, & ideo vterque accensendus sit brutarum animantium numero, & habendus pro homine sine obedientia, sine honore, sine amore, sine vrbanitate, & sine ratione: & si quis eum huius criminis accuset, is sit haud dubiè, vt reus, damnandus, ac puniendus. Quæ cùm Paternitates Vestræ probè sciant, rogamus, vt ea nostro nomine deferri curent ad Summum Pontificem, & ad eius Tribunalia, declarando, quòd si hi Ritus damnentur, ac prohibeantur, deinceps haud dubiè Sinas non amplexuros S. Legem; quòd eâ sententiâ occludenda est Sinis Paradisi ianua; quòd, quicumque S. Fidem iam susceperunt, violatæ legis Imperij rei facti, magnis erunt vexationibus, imò & supplicijs afficiendi; quòd refrigescet multorum Christianorum feruor, & charitas; quod id addet stimulos cuilibet infideli, ad ijs maledicendum, & inimicorum more pro libitu, & impunè nocendum; Quòd omnium Prouinciarum Missionarij difficilè obtinere possint, vt ne eijciantur; denique quod inde secutura sit certò certiùs apud nos plena veræ Religionis Clades.

Q

Veteres Sinæ habuerunt notitiam veri rerum omnium authoris, ac Domini, quem Christiani adorant, & eum expresserunt per voces *Tien*, & *Xang Ti*.

Nullus profectò est dubitandi locus, hos, & alios textus similes, quos passim legimus in libris nostris Classicis v. g. *Su Tien*, hoc est, seruire Cælo, *Chao Su Xam Ti*, hoc est, palàm seruire supremo Cæli Domino: esse totidem argumenta, quibus efficitur, veteres Sinas habuisse notitiam veri rerum omnium Auctoris, ac Domini illius Supremi, quem Christiani adorant; verùm, quia characterum Sinicorum vsus est veluti mobilis, & indeterminatus, nec fixus ad vnicum, solumque loquendi modum: verusque Deus à Sinis appellatur modò *Van ve chi chu*, hoc est Dominus

R
Variæ appellationes, quibus Sinæ Deum appellant.

minus omnium rerum; modò *Tien*, hoc eſt, Cælum; modò *Xam Ti*, hoc eſt Supremus Cæli Dominus; modò *Chin Cai*, hoc eſt, verus moderator; modò *Cao ve che*, hoc eſt, Auctor, ſeu Conditor rerum: quæ omnes appellationes præclarè exprimunt, ſuo quæque modo, maximum Cæli, Terræ, ac rerum omnium Dominum: dicimus, ſi eiuſmodi appellationum vſus Chriſtianis prohibeatur, id maximas allaturum difficultates, & maxima incommoda in editione librorum de S. Lege, & in quotidianis ſermonibus: nempe cum litterarum vſus repetendus ſit ex libris Claſſicis, ſi adhibeatur aliqua vox ab antiquis non vſurpata, hæc reſpuitur tanquam abſona, & inſolens. Si ergo proſcriptis inter Chriſtianos his litteris *Tien*, & *Xam Ti* v.g. cogantur Chriſtiani omnes in ſuis compoſitionibus tantùm adhibere has duas litteras *Tien Chu*; quidquid leporis,ac elegantiæ aliunde contineant Chriſtiani illius compoſitiones, non ſolùm nihil illi proderunt: imò & ipſius famæ plurimùm nocebunt. Non opus eſt reponere, quòd hæ voces poſſunt exponi, addita breui interpretatione; neque enim id per conſuetudinem licet.

S
Mala ex prohibitione vocum Sinicarum,quibus Deus appellatur.

T
Supplicant, ne ſibi voces Sinicæ ad compellandum Deum prohibeantur.

His ergo rationibus adducti audemus confidenter ſupplicare Summo Pontifici, vt dignetur nequaquam prohibere Chriſtianis Sinis vſum harum appellationum *Tien*, hoc eſt Cælum;*Xam Ti*,hoc eſt ſupremus Dominus;*Cao ve*, hoc eſt conditor rerum;*Chin Cai*, hoc eſt verus Moderator; *Van ve chu*,hoc eſt, Rerum omnium Dñs, & aliarum ſimilium, vbi agitur de vero Deo compellando; tantò magis, quòd hæ appellationes frequentiſſimè occurrant in noſtris antiquis libris,earumq;ſenſus ſit valde ſublimis,& in multa æſtimatione poſitus apud infideles litteratos: coram quibus, cum de D. Lege diſſerimus, fulcimuſque Sacra eius dogmata, depromptis è libris noſtris, his, & ſimilibus formulis, eos eò deducimus, vt non poſſint non aſſentiri. Huc accedit, quòd dictæ appellationes iuuant plurimum ad ſuadendum Sinis, magnam eſſe Chriſtianæ legis cum recta veterum Sinarum ratione conformitatem; atque adeò ad eam maiori cum facilitae publicandam, quantumuis Sinæ ab omni æuo alieni ſint, aut abhorrere videantur, ab omni doctrinæ genere à Regnis exteris aduectæ.

V
Gentiles ex vſu ſimilium appellationum faciliùs conuincuntur, vt credant.

X
Denuo repetunt iuramentum,& ſupplicant, ne hi ritus prohibeantur, qui falsò ſuperſtitionis accuſantur.

Cùm porrò hæc repreſentamus cum iuramento, enixè rogamus, vt ne Ritus prædicti, Diuinæ Legi nihil ſanè oppoſiti, prohibeantur. Hoc facimus primùm, ad exonerandas noſtras conſcientias, eaſque liberandas à culpa grauiſſima, quam coram D. Maieſtate certò incurremus, ſi

in re tanti momenti sileremus. Deinde ad impediendum, ne Sanctam Legem deinceps ingressuris porta occludatur. Quod ni auertat Deus, declaramus, nos omnes olim coram Christo Iesu Domino Nostro, viuorum, atque mortuorum Supremo Iudice, insurrecturos in eorum accusatores, qui contra genuinum librorum Sinicorum sensum Sinicos Ritus superstitionis falsò accusando, perturbant nostrorum indigenarum conscientias, viamque ad salutem æternam Christianis præsentibus, tum futuris impediuerunt.

Y

Supplicant coram Sanctissimo D. Nostro, vt iuratis debita Fides habeatur.

Verùm cùm habeamus in terris tantæ virtutis, tantæque intelligentiæ Supremum Pontificem, Dei, ac Domini Nostri Iesu Christi vices plena cum potestate gerentem, præstat nunc ad eius pedes confugere, eique humillimè supplicare, vt summum Christi Passionis, ac peccatorum Redemptionis beneficium intuitus, benignos in nos oculos conuertat, credatque, nos nulla re adduci potuisse, vt in re tam graui, temere, aut falsò iurare auderemus.

Si hæc supplicatio nostra recipitur, consequimurque Decretum votis nostris conforme, tunc Christiani Sinæ verè poterunt conquiescere; infideles verò facillimè, & libentissimè S. Fidem suscipient. In hoc siquidem reposita est pax, & salus D.Legis apud Sinas: hac ergo de causa non possumus sine lacrymis, & summa sollicitudine recurrere ad Supremum Tribunal.

Kam Hi anno 41. Luna 7. die 17.

Pao Vitus in Tribunali Mathem. Secundus à Patre Grimaldi	Mandarinus.
Cao Ludouicus quarti Ordinis	Mandarinus.
Cao Iulius quinti Ordinis	Mandarinus.
Ciao Paulus sexti Ordinis	Mandarinus.
Si Florus sexti Ordinis	Mandarinus.
Pao Bartholomæus sexti Ordinis	Mandarinus.
Fam Michael sexti Ordinis	Mandarinus.
Chu Laurentius olim in Tribunali Mathematicæ noni Ordinis	Mandarinus.
Kiam Petrus sexti Ordinis	Mandarinus.
Tum Carolus septimi Ordinis	Mandarinus.
Chao Laurentius octaui Ordinis	Mandarinus.
Gin Franciscus octaui Ordinis	Mandarinus.
Li Ioannes octaui Ordinis	Mandarinus.
Pao Alexander noni Ordinis	Mandarinus.

Fum

Fum Thomas noni Ordinis Mandarinus.
Cham Leo noni Ordinis Mandarinus.
Sun Iosephus noni Ordinis Mandarinus.
Lin Michael noni Ordinis Mandarinus.
Hoam Iosephus assumendus in septimi Ordinis Mandarinum.
Vam Iosephus proximè assumendus in Baccalaureorum Præfectum.
Lu Ioannes primi Ordinis Baccalaureus.
Yu Iosephus primi Ordinis Baccalaureus.
Hu Ioannes, Lu Ioakimus, Gin Iosephus, Gin Ludouicus, Chao Stephanus. Omnes quinque titulo *Kien Sem* honorario donati, eòque ad Mandarinatus euehendi.
Quon Ioannes secundi Ordinis Baccalaureus.
Vam Carolus, Leam Stephanus, Vam Petrus, Sun Philippus, Chin Iosephus, Pao Iacinthus, Heu Paulus, Pao Matthias, Fam Cosmas, Que Matthias, Omnes decem *Tien Ven Sem*, siue Candidati Mandarinatûs in Tribunali Mathematicæ.
V Ioannes, Li Iosephus, Cum Mathæus, Quon Ignatius, Gin Petrus, Li Iosephus, Chao Placidus, Yam Franciscus, Vam Alexander, Su Antonius, Tum Iacobus, Chu Iosephus, Omnes numero duodecim, quamuis ordine, & gradu careant, docti tamen censentur, non solùm in rebus ad Religionem pertinentibus, sed etiam in Sinarum Ritibus.

Nos infrascripti Soc. Iesu Sacerdotes testamur, hanc versionem latinam postulationis Christianorum degentium in Curiâ Pekinensi, eorundemque Testimoniorum iuratorum esse conformem originali, In cuius fidem subscribimus. Pekini primâ Octobris anni 1702.

Ego infrascriptus V. Prouincialis Soc. Iesu V. Prouinciæ Sinensis testor, hoc exemplar Originale Postulationis Christianorum, ac versionis eius, vnâ cum subscriptionibus, esse legitimum, in cuius fidem Sigillum Officij mei hîc apposui. Pekini primâ Octobris 1702.

Loco ✠ sigilli.

Antonius Thomas.
Ioachimus Bouuet. Philippus Grimaldi.
Iosephus Suarez.

Ego Episcopus Macaensis testor hanc esse veram, & propriam copiam originalis de postulatione Sinarum Christianorum,

in cuius fidem Sigillum meum hîc oppoſui. Macai 20. Ianuarij 1703.

Ioannes de Cazal Epiſcopus Macaenſis.

Loco ✠ ſigilli.

Ego Notarius Epiſcopalis fidem facio, hanc ſuprà teſtificationem eſſe propriam Illuſtriſſimi Domini Ioannis de Cazal Epiſcopi Macaenſis, in cuius fidem hîc ſubſcribo. Macai 22. Ianuarij an. 1703.

B. à Cunha.

Num. 2.
Teſtimonia Gentilium ex eâdem Prouincia PeKinenſi.

A
Teſtimonium Filij Principis, & declarati Succeſſoris in Imperio Sinico, de agnitione Dei inter Sinas.

Nos infraſcripti Societatis Ieſu teſtamur, quòd multis Aulicis præſentibus, & nobis, Princeps Imperatoris Filius, & hæres Imperij, loquens de Diuina Lege, Litteris, & Libris Sinicis, ſequentia dixerit.

B
Commendatur peritia P. Matthæi Riccij in rebus Sinicis.

C
Per vocem *Tien*, ſeu *Cœlum* Sinæ intelligunt ſupremum rerum omnium Dominum, eundem, quem Chriſtiani vocant *Tien Chu*.

Inter vos (cum P. Thoma Pereyra loquebatur) nemo fuit, qui tantam notitiam noſtrarum Litterarum habuerit, & noſtrorum Librorum genuinum ſenſum magìs ſit aſſecutus, quique meliùs Legem Domini Cœli explicauerit, quàm P. Matthæus Riccius. Quoad Supremum Dominum rerum Omnium, in hoc tantùm à vobis diſſentimus, quòd illum diuerſo nomine appellemus: Nam vos illum vocatis *Tien Chu*, nos autem vocamus *Tien*.

In horum fidem propriâ manu ſubſcribimus. PeKini 13. Decembris 1701.

Thomàs Pereyra.

Ioſephus Suarez.

Concordat cum originali. Cantone 10. Ianuarij 1702.

Carolus Turcottus Soc. Ieſu Viſitatór Iaponiæ, & Sinarum.

Loco ✠ ſigilli.

Ioannes Laureatus Soc. Ieſu Sacerdos.

Quinque Teſtimonia Supremorum quinque Litteratorum Gentilium ex Regio Collegio *Han Lyn Yuen*.

D
Teſtimonium vnius Litterati ex Collegio Regio *Han Lyn Yuen*.

E
Commendantur Libri Sinici Miſſionariorum Societatis IESV.

PRIMVM TESTIMONIVM.

Europæi Litterati optimè penetrant res in Libris, quos ediderunt, quamuis diuerſas, & diſſimiles materias vnuſquiſque tractet, vniuerſim tamen nolunt vana, & inania verba proferre, vt videre eſt in Libro de ſeptem Virtutibus, quæ ſeptem Vitijs Capitalibus opponuntur, quem ego

ego pridem in animo conseruo. Nunc verò lectâ Magistri Grimaldi Epistolâ responsoriâ ad suos Europæos, qua magni Ritus Sacrificandi Cœlo, colendi item Confusium, & oblationes faciendi Progenitoribus defunctis, subtilissimè, & perspicacissimè secundùm nostros Doctores referuntur, non est, quod quidquam notem. Nimius est hic in petenda vlteriori instructione reuerentiæ excessus; Optima est Europæorum Litteratorum doctrina. Ego cum resciuissem, hanc Epistolam ad me allatam fuisse, eumque aduenisse intellexissem, qui ad docendos rectos mores tot Maria emensus est, statim pauca ista exaraui.

F Approbatur libellus supplex PP. Societatis de Ritibus Sinensibus.

Prouinciæ *FoKien Lin Ven Yng*.

SECVNDVM TESTIMONIVM.

G Testimonium aliud alterius Doctoris ex eodem Collegio Regio.

H Approbatur libellus supplex PP. Societatis.

Europæi Magistri omnes componendorum morum, & seruiendi Cœlo doctrinæ incumbunt, nec detrectant longissimum nouem millium Leucarum iter, vt ad præclaram Sapientissimi Imperatoris nostri Curiam veniant. Quod attinet ad plures illos, ex eorum Regnis insignes, & perspicacissimos Litteratos, qui de Sinarum oblationibus, & Ritibus interrogant, & ad eam, quam Magistri dant, responsionem, nisi Doctorum nostrorum Libros rectè callerent, & antiquorum Sapientum, qui ista instituerunt, mentem profundè penetrarent, quomodo sanè potuissent illam adeò claram, & accuratam dare. Et quidem agendo cum omni reuerentiâ de discursu illo, in quo colendi Cœli doctrina exponitur, in his tribus cohærentibus quæsitis, illa luce Solis, & Lunæ clariùs demonstratur, & magna Sapientum doctrina, in China vigens, nunc tandem omnibus Mundi partibus, & Regnis longè latequè innotescit. Nonne hoc præstantissimum est, & hactenus nec visum, nec auditum opus?

Ex Ciuitate *Kia Ting Sun Chi Mi* cum reuerentiâ hæc scripsit.

TERTIVM TESTIMONIVM.

I Testimonium aliud alterius Doctoris ex eodem Collegio Regio.

K Approbatur libellus supplex de his Ritibus,

Sapientum doctrinæ amplitudo est, sicut Sol, & Luna in Cœlo radiantes, sicut Flumina, & Riui in terra currentes, qui nullo termino coarctantur. In omnibus quatuor Mundi partibus cor, & ratio sunt eadem. Et quidem Litterarum amatores dum profundos doctrinæ sensus explicant, eos à prima sua origine vsque huc ordinatè, ac clarè de-

deducunt. Nunc etiam dum video Europæi Magistri *Min* (P. Grimaldi) Epistolam, qua respondet suis Europæis super Ritus colendi Confusium, & offerendi Cœlo, an non verè excellens Doctor dici potest, qui tam egregiè eorum rationem, & Originem assequi valuit. Nec tantùm Viri Europæi florentem Imperij nostri doctrinam longè vltra mare manifestam faciunt, verùm etiam si vertatur responsio Imperatoris ad quæsita, ac mittatur, eadem erit eiusdem rei testificatio.

L
Declaratio Rituum data est ab Imperatore.

Ex Ciuitate *Hoaj Tu* *Ou Ching*.

QVARTVM TESTIMONIVM.

M
Testimonium aliud alterius Doctoris ex eodem Collegio Regio.

N
Approbatur libellus supplex de Ritibus.

O
Declaratio Rituum data est ab Imperatore.

Vidi responsoriam Europæorum Magistrorum Epistolam ad suos, qui interrogabant de Doctrina Rituum, quibus colitur Confusius, & oblationum, quæ fiunt Cœlo, ac earum, quæ fiunt Progenitoribus: illi distinctè, perfectè, & omninò rectè veritatem attingunt. Cùm decretum ab Imperatore super his petitum obtinuerint, hoc transmisso ad eos, qui vltra mare sunt, Litteratos, cognoscent illi, quid obseruetur, quis scilicet sit æquitatis amor, quæ morum sollicitudo. Atque vt eiusdem Doctrinæ participes fiant, hæc Epistola verum erit Testimonium.

Ex Ciuitate *Xan Tang* *Li Kay*.

QVINTVM TESTIMONIVM.

P
Testimonium aliud alterius Doctoris ex eodem Collegio Regio.

Ego audiui, res omnes suam à Cœlo habere originem, & Homines originem trahere à suis Progenitoribus, nec vllum esse, qui meliùs obsequatur Cœlo, & perfectum vitæ exemplar præbeat, quàm Vir Sapiens. Idcirco habentur Ritus, quibus fiunt oblationes Cœlo, Auis item, & Confusio. Hi Ritus suum principium à corde trahunt, illorum ratio vniuersim consistit in reuerentia. In toto Mundo olim, & nunc, tum quoad interius, tum quoad exterius, nulla est differentia. Vnde Magistri Europæi, respondentes suorum interrogationi, clarissimè, perfectissimè, & profundissimè rem explicant; illorũ superius scriptum dignum fuit, quod Imperator laudaret: hoc ergo transmittendo vltra mare ad suos, vt huius Doctrinæ participes fiant, optimè merebuntur de communi modo viuendi, & Hominum affectibus.

Q
Approbatur libellus supplex de Ritibus.

R
Expositio Rituum approbata est ab Imperatore.

Ex Oppido *Mui Ly* *Lieu yu*.

Testor hoc exemplar esse legitimum PeKini 3. Octobris. An-

Antonius Thomas V. Prouincialis Societatis IESV V. Prouinciæ Sinicæ.

Ego Episcopus Macaensis testor, hanc esse veram copiam. Macai 20. Ianuarij an. 1703.

Ioannes de Cazal Episcopus Macaensis.

Loco ✝ sigilli.

Ego Notarius Episcopalis Macaensis fidem facio, hanc supra testificationem Illustrissimi Domini Ioannis de Cazal esse propriam Macai 22. Ianuarij an. 1703.

B. à Cunha.

LIBELLVS SVPPLEX.

Christianorum Ciuitatis NanKinensis in Regno Sinarum communi iuramento confirmatus.

Num. 3. Testimonia ex Prouincia *Kiang Nan*, seù *Nan King* Christianorum.

Nos Præclarissimi Regni, NanKinensis Prouinciæ, NanKinensisque Ciuitatis humiles Christiani Lieu Blasius, Yao Stephanus, & reliqui, quoniam aliqua sunt, quæ videntur esse mala, re tamen mala non sunt, sed bona, cupientes vera à falsis distinguere, Expositionem hanc facimus, petimusque, offeratur Romæ Summo Pontifici, vt illâ motus dignetur optatam reddere pacem Sanctæ Legi, & saluti Sinensium animarum consulere.

A Rogant, vt eorum Libellus supplex SS.D.N. offeratur.

Annis proximè elapsis, prout audiuimus, Episcopus Vicarius Apostolicus FoKiensis, sciens Sinense Regnum colere Confusium, venerari Progenitorum Tabellas, in Libris quoque Sinicis inueniri nomina *Tien*, *Xam Ti*, *Cao Ve*, *Chin Cay*, quibus vocatur *Cœlum, Supremus Imperator*, *Factor rerum*, *verus Gubernator*. Consilium disputando habuit cum aliquibus eiusdem FoKiensis Prouinciæ Christianis circa res istas, & quia Christiani illi, vtpote non bene intelligentes veram doctrinam, errando responderunt, ea omnia puritati Sanctæ Legis esse opposita, ideo inductus est ad rem ita deferendam Summmo Pontifici, Sacrisque Tribunalibus, vt inde suspicentur, à Christianis Sinensibus illicita, & superstitiosa perpetrari.

B Illustrissimus Cononensis secutus est sensum aliquorum, non bene intelligentium veram rationē RituumSinicorum.

Sed hac ratione certè ignoratur Causa, qua Sinense Regnum mouetur, vt cultu suo prosequatur Confucium, quæ non est alia, quàm sequens. Quia Confucius tempore, quo vixit, exactè distinxit falsum à vero, iustum ab iniusto, deque bono vniuersali, ac particulari optimè tractauit, nullo alio sibi scopo præfixo, nisi vt hominum corda secundùm rectam rationem dirigeret, ideo factus est in Sinensi

C Confusius solùm colitur vt Magister Regni.

Regno

Regno omnium sæculorum Magister; eâque solùm de causa colitur, magnique æstimatur; non verò, vt ab illo petantur felicitates, quemadmodùm ab Idololatris peti solent à *Foe*, *Pusa*, alijsque Idolis.

D
Nihil petitur à Confusio.

E
Tabellæ progenitoribus erigũtur solũ ex filiali affectu, & ad eorum memoriã conseruandam.

Iam vt de Tabellarum, quæ Progenitoribus eriguntur, veneratione loquamur; hæc pariter sistit in hoc, quòd, cùm Parentes mortui sint, nec ampliùs illorum vox audiatur, aut vultus conspiciatur, coluntur Tabellæ illos repræsentantes, ac si Parentes in illis viderentur. Certè obedientia, & reuerentia filialis erga Parentes hoc vnum intendit, vt eodem respectu seruiat mortuis, quo seruiebat viuis: & si hoc, quod oculis percipitur, obsequium reputetur superstitiosum, nulla profectò fieri poterit commemoratio Parentum defunctorum, quod est summum inobedientiæ, & irreuerentiæ filialis peccatum; & hoc fieri fas erit in Mundo?

F
Variæ voces, quibus appellatur apud Sinas Deus.

G
Per voces Sinicas *Tien Xang Ti*, & similes, intelligitur à Sinis vnus Cœli Dominus.

Quod spectat ad nomina, in nostris Libris contenta, quibus vocatur *Tien Cœlum*, vocatur *Xam Ti Supremus Imperator*, vocatur *Cao va Factor rerum*, vocatur *Chin Cay verus Gubernator*, horum omnium, & singulorum legitimus sensus est, vnum Cœli Dominum demonstrare. Cum enim antiquissimis illis sæculis cœlestis doctrina non dum peruenisset ad Regnum Sinense, propterea eiusmodi diuersis nominibus vtebantur, quæ certissimum est, non opponi Sanctæ Legi.

H
Mala, & pericula ex prohibitione horum Rituum.

Quod si hæc tria dicantur esse superstitiosa, & idololatrica, certè Sinenses homines, dubitantes Sanctam Legem iniquam esse, & in nulla ratione fundari, ab illa amplectenda auertentur; atque ideo magna ex parte frustrabitur summus ille animarum zelus, quo tot Sacerdotes, conscensis nauibus, Maria permeârunt, pereuntibus interea vniuersæ gentis animabus sub iugo Diaboli.

I
Supplicant Sanctissimo Domino Nostro ne hi Ritus prohibeantur.

K
Iurant coram Deo, se de his verè testari

Quare Nos Blasius, Stephanus, & cæteri, Summis precibus petimus à Summo Pontifice, ne tria illa capita, de quibus supra, prohibeat, sed mandato suo publico in Regno Sinarum ea fieri posse permittat. Tandem coram Domino Nostro Iesu non secus, ac in die Iudicij, ante ipsius Tribunal constituti, iuramus, nos de his rebus verè testari, credimusque Deum apertè videre Nos Blasium, Stephanum, & reliquos, non aliam in hoc habere intentionem, nisi, vt vniuersæ Sinensis Regni genti subueniatur: Si tamen, quod asseueranter dicimus, Testimonium nostrum falsum est, condignis reprehensionibus, & pœnis nos sponte subijcimus. Supplicem hunc Libellum nostris nominibus,

bus, & notis subscribimus. Cam Hi Imperatoris anno 41. Lunâ 8. die 16., qui est 7. Octobris an. Domini 1702.

Societatis Iesu Sacerdos, & ante ingressum Societatis, Mandarinus Tribunalis Mathematicæ	Lieu Blasius
Heu Pu) Mandarinus proximè promouẽdus ad regimen	Yao Stephanus
Heu Pu) Mandarinus proximè promouendus	Fum Ignatius
Heu Pu) Mandarinus proximè promouendus	Hiu Augustinus
Heu Pu) Mandarinus proximè promouendus	Hiu Franciscus
Kien Sem) gradus Baccalaureo maior.	Hiu Dominicus
Kien Sem) gradus Baccalaureo maior.	Hiu Ignatius
Kien Sem) gradus Baccalaureo maior	Cham Petrus
Sem yuen) Baccalaureus	Hiu Bernardus
Sem yuen) Baccalaureus	Fum Antonius
Sem yuen) Baccalaureus	Fum Franciscus
Sem yuen) Baccalaureus	Ciu Ioannes
Sem yuen) Baccalaureus	Ciu Hyacinthus
Sem yuen) Baccalaureus	Hiu Ludouicus
Sem yuen) Baccalaureus	Ciu Hyginus
Sem yuen) Baccalaureus	Ciu Antonius
Sem yuen) Baccalaureus	Ciu Iosephus
Sem yuen) Baccalaureus	Ciu Sebastianus
Sem yuen) Baccalaureus	Ngai Petrus

Hæc traductio est conformis sensui textus Sinici.

Alexander Ciceri Epicopus NanKinensis.

L

Libellus supplex Christianorum Vrbis *Sung Kiang*, & Oppidi *Kia Ting*; datus ad Sanctissimum Dominũ Nostrum, eorumque iurata testimonia.

Christianæ Legis Cultores Imperij huius Tartarosinici ex Vrbe *Sumkiam*, & Oppido *Kia Tim* Prouinciæ Nankinensis, Literati omnes, & in nostris Sinicis studijs graduati, sanguineis guttis subscribimus, & proclamamus coram Sanctitate Vestra, omnibusque Romanæ Curiæ Supremis Iudicibus; exoramusque, vt dignentur omnes propitio, ac benigno vultu respicere ad tria hæc puncta, in hoc Imperio controuersa: Compellationis scilicet Diuini Numinis sub nominibus *Tien*, & *Xam Ti*; Ritus, quo nostrum Confusium colimus, quibusque Parentes, Proauosque vitâ functos veneramur. Nos equidem Christianarum Legum non inscij, aut eas parui pendentes, minimè audemus, aut falsum asserere, vel sine consideratione in errorem ruentes, nostræ, aut aliorum saluti aliquid obesse: Res enim id esset, in extremo Dei Iudicio ante ipsius conspectum grauiter discutienda, & iudicanda, Æternam tot animarum salutem, & propagationem Sanctæ Legis, quæ in hoc Imperio per 135. annos huc vsque propalata est, in summum discrimen, & ruinam vertere. Humillimè igitur petimus, & exo-

M

Legum Christianarum non inscij, falsum, vel inconsideratũ quidpiam cum certa, & propriæ, & alienæ salutis iactura asserere non audent, & supplicant Sãctissimo Domino Nostro, vt rem iubeat clarè discuti.

& exoramus Sanctitatem Vestram, vt rem faciat clarè, & maturè discuti, ac decerni. Cùm enim nobis minimè liceat, ob fere decem millium leucarum distantiam, nos metipsos præsentes sistere, coràmque nostros sensus exponere, causam dicere, & innocentiam contutari; veremur maximè, ne Sanctitati Vestræ minùs claræ, & certæ quorundam opiniones, & informationes, dubium pariant superstitionis in nostris hisce ritibus, & cæremonijs: Ideòque maxima animi perturbatione concutimur in præsens nos omnes Christianæ Fidei asseclæ in hoc Imperio: Timemus enim, ne in vacuum ruat, irrit usque reddatur pientissimus Christi amor, quo Prædicatores ad erudiendas Orbis vniuersi inscias gentes destinauit semper. Hac igitur de causa sanguineis lacrymis instrumentum hoc conscribimus, quo Sanctissimum, ac Summum Pastorem nostrum compellamus; omnique animi submissione illud offerentes ante pedes Sanctitatis Vestræ, precamur, ac petimus, vt velit benigno animi sensu nostrum hoc iuramentum excipere, nostrasque preces exaudire.

N Timent, ne fortè minùs certæ quorundam de his ritibus informationes eos de superstitione suspectos reddant, & exponunt mala, ex eorum prohibitione timenda.

O Supplicant Sanctissimo Domino Nostro, vt eorum iuramentũ benignè excipiat, & preces exaudiat.

Primò. Igitur contestamur: hæc nomina *Tien*, & *Xam Ti*, quæ in nostris antiquis codicibus inueniuntur, ea passim à nostris Indigenis Expositoribus Regni, *Sum Chao* dicti, explicari pro Cœli Domino, & Gubernatore: *Xam Ti* (aiunt) *Tien chi chu cai*: hoc est Cœli Dominus, ac Gubernator: Rursùs cùm hanc literam *Tien* in nostris Libris vsurpant, ei attribuunt venerationem, timorem, seu respectum, & cultum, seu seruitium. *Kim Tien, Guei Tien, Su Tien*: Tres istæ obsequij clausulæ: Cœlum colere; Cœlum timere: Cœlo seruire: Ex antiquorum Librorum sensu euidentissimè indicant eius Dominatum, & Prouidentiam; quæ cæruleo huic, & materiali, quod oculis conspicimus, terraqueæ spheræ tegumento, conuenire vtique non possunt. Hoc quod asserimus, id ipsum iure iurando coram Deo, & Sanctitate Vestra contestamur.

P Per *Tien*, & *Xam Ti* intelligitur Cœli Dominus, & Gubernator.

Q Per voces *Chu cai* significatur Dominus, & Gubernator.

Secundò. Asserimus callere nos optimè, nostrum Confusium purum hominem fuisse, natum in vna Regionis huius nostræ Prouincia, *Xan tum* dicta, sub Imperio *Cheu*. Ea autem de causa, quòd ipse perspicuè intellexerit, & penetrauerit Regum nostrorum antiquorum, & sapientum doctrinam; Seque veri Doctoris, & Magistri prototypum, & exemplar exhibuerit; posteri eum, vt supremum Sinicæ nostræ gentis Præceptorem, venerati sunt semper: Reges omnes, Principes, Doctores, ac Populi, Librorum ipsius studia ad vnum omnes coluêre, ab eoque addiscere se profitentur,

R Optimè sciunt Confusium purum hominem fuisse, eumque solùm, vt Magistrum Sinicæ gentis venerantur.

S Doctrina Confusij.

fitentur, Cœlum reuereri; proximos amare; familiam dirigere; & Regna gubernare; atque ideò Veris, Autumnique temporibus, oblationes ei faciunt. Solùm autem Mandarinorum, Doctorum, ac Literatorum id officij est; Plebeijs verò Viris, ac Mulieribus omnibus, eius aulam, in qua soli ipsi oblationes fiunt, nulla quidem ingrediendi potestas, aut facultas. Neque omnino in dictis oblationibus, & cæremonijs præstandis petitio vlla immiscetur, aut felicitatis, aut perspicacitatis, Sic iuramus, & contestamur, vt suprà.

T Solis Literatis licet ingredi aulam Consusij.

V Nihil petitur à Cōfusio.

Tertiò. Quoad Parentes, & Proauos: Mortalium omnes ab ipsis suum esse, & naturam excipiunt: Sicut arbores à radice, aquarum riuuli ex fonte originem trahunt, ita quidem terrarum omnium Reges, Principes, Doctores, ac Populi à suis Parentibus proueniunt. Hac igitur de causa Veris, Autumnique tempestatibus nos filij, ac nepotes, ipsorum minimè immemores, tamquam si adhuc illi ipsi superstites essent, esculentorum oblationes exhibemus; Nullo verò pacto eorum spiritus ad oblationum odorem excipiendum, descendere, aut venire credimus; Neque in ea, quam pro ipsorum imaginibus supponimus, & exponimus, tabella, *Pai guei* dicta, eorum spiritus assistere, aut residere putamus vllo modo, vel asserimus. Sic contestamur, & iuramus coram Deo, & Sanctitate Vestra &c. Anno 41. *Cam Hi* Luna 9. Die 15. Ad vnum omnes scriptum hoc superiùs signamus, & offerimus.

X Parentes defuncti solùm coluntur ex filiali affectu, & memoria, quasi si adhuc viuerent.

Y Non creduntur progenitorum spiritus venire, vel frui oblatis.

Z Non putant vllo modo, in tabellis *Pai guei* dictis residere defunctorum spiritus.

AA Denuo confirmant iuramentum suum.

Sun Michael è Regio Collegio *Han Lin yuen* summus literariorum examinum præses.

Hiu Sebastianus proximè promouendus ad Curiæ Mandarinatum.

Hiu Franciscus proximè promouendus ad Curiæ Mandarinatum.

Vang Franciscus proximè promouendus in Assessorem Gubernatoris Vrbis.

Tao Stephanus proximè promouendus in Secundarium Vrbis Literatorum Præfectum.

Hiu Augustinus proximè promouendus in Primarium Vrbis Literatorum Præfectum.

Fung Ignatius proximè promouendus in Secundarium Vrbis Literatorum Præfectum.

Kien Seng, seu Honorarij Baccalaurei.

Hiu Dominicus. *Hiu* Ignatius. *Chang* Petrus. *Ly* Paulus. *Sun* Ioannes. *Hiu* Ignatius. *Chuang* Marcus. *Ly* Thomas. *Tao* Simon. *Chuang* Petrus.

Seng

Seng yuen, seu Baccalaurei.

Hiu Bernardus. *Hiu* Ludouicus. *Fung* Antonius. *Fung* Franciſcus. *Ho* Iulius; *Ly* Antonius. *Vu* Petrus. *Chuang* Ignatius. *Tn* Ignatius. *Chang* Ambroſius. *Quei* Ignatius. *Chang* Andreas. *Chin* Hyacinthus. *Chang* Nicolaus. *Fang* Petrus. *Vu* Michael.

Verſio hæc fortè minùs concinna, aut compta videri poterit; id autem omnino neceſſarium fuit, vt ſtylo, & Sinicæ literæ quomodolibet inhæreret.

Verſio hæc facta à Reuerendiſſimo P. Antonio Puſateri, Vicario Apoſtolico Prouinciæ *Xan ſi*, eſt conformis ſenſui textus Sinici, ſubſcripti à Doctioribus Chriſtianis Vrbis *Sum Kiam*, & Oppidi *Kia tim*.

Alexander Ciceri Epiſcopus Nankinenſis.

Manifeſtatio Communis petitionis iuramentalis Vrbis Su cheu *Prouinciæ Nankim.*

BB Iurant coram Dei conſpectu.

Magnæ Venuſtatis Regni (ſiue iſtius Imperij Sinici) Prouinciæ Nankim, Vrbis *Su cheu* remoti Chriſtiani *Liu* Franciſcus, & reliqui, nominibus ſubſcriptis, audent ante Altare Dei iuramento aſſerere.

CC Confuſius in China non colitur, vt Idolum, ſed vt Magiſter.

Primùm. Confuſium in Regno Medij (ſiue in China) non coli tanquam idolum *Foe*, ſiue *Pu Sà*, ſiue nequam ſpiritum, coli verò tanquam Magiſtrum, in retributionem beneficij inſtitutionis, ab eo propalatæ, nec ab eodem quidquam ſperari.

DD Nihil ſperatur à Confuſio.

EE Progenitores defuncti ab omnibus honorantur in ſignum grati animi, ob beneficia generationis, & educationis, & ne eorum obliuiſcantur.

FF Nihil petitur, aut ſperatur à defunctis

Secundùm. Rationem obſeruantiæ in oblationibus progenitorum non poſſe aboleri, vtpote omnibus communem, & à magno vſque ad minimum obſeruatam: Poſteri enim omnes in ſignum, & manifeſtationem animi beneuoli, & grati, gratulantur eis generationis Corporis, educationis, & ſuſtentationis beneficium. Et quia timere eſt, poſt longum temporis, & annorum ſpatium poſteros non recordari eorum nominum, & ætatis, idcirco proponunt, & erigunt tabellam cum inſcriptione, vt tempore opportuno oblationes fiant, ad eximium obſeruantiæ monumentum, quin aliquid petatur, aut ſperetur.

GG Per voces *Tien*, & *Xam Ti* intelligitur Cœli Dominus, & vſus harum vocum maximè ſeruit ad multorum conuerſionem.

Tertiùm. Quod in Libris Claſſicis antiquis Sinenſibus dicitur, *Tien* Cœlum, dicitur *Xam Ti* Supremus Imperator, voces eſto diuerſæ ab illa, qua in Sancta Lege dicitur *Tien chu*, Cœli Dominus; intentum tamen, ſiue ſenſum genuinum, eundem eſſe, abſq; vlla differentia: Interim in exhortando gentiles, vt diſcurſu rationis teſtificetur Deus,

ſæpè

ſæpè inducuntur vſu illarum vocum, quibus non poſſunt non acquieſcere, quia omnibus notum, per illas nominari Creatorem Dominum, quin habeant aliam explicationis rationem mixtam.

Lit. grad. *Liu* Franciſcus; Lit. grad. *Chu* Ioannes; Deput. ad Trib. *Vam* Thomas. *Lo* Cyrillus. *Tao* Petrus. *Kin* Matthæus. *Chu* Vincentius. *Sun* Thadæus. *Vam* Matthæus. *Hu* Thomas. *Tu* Alexius. *Hiu* Petrus. *Cu* Thadæus. *Li* Valentius. *Li* Damianus. *Vam* Franciſcus. *Xin* Andreas. *Liu* Franciſcus. *Vam* Matthæus. *Vam* Ioſeph. *Vam* Ioannes. *Lo* Ignatius. *Vam* Ioakim. *Vam* Thomas. *Vam* Ignatius. *Xin* Leo. *Chin* Ignatius. *Ciu* Marcus. *In* Gregorius. *Cu* Coſmas. *Vam* Valerius. *Cù* Leo. Hæc traductio eſt conformis ſenſui textus Sinici.

Alexander Ciceri Epiſcopus Nankinenſis.

Iuramentum Chriſtianorum Ciuitatis Xam hai *Vrbi* Sum Kiam *ſubiecta in Prouincia Nankinenſi.*

Tartaro-Sinici Imperij Literati Chriſtiani *Ngai* Ludouicus, cæterique degentes in hac Ciuitate *Xam hai* Prouinciæ Nankinenſis, Vrbi *Sum Kiam* ſubiecta, cum iuramento teſtamur, ac proclamamus coram Sanctitate Veſtra, omnibuſque Tribunalibus, quibus impendet cura promouendi rem Chriſtianam. Quoniam his proximis diebus accepimus literas Pekinenſium Literatorum Chriſtianorum, in quibus nos admonebant, quomodo in Prouincia *FoKien* prohibitum erat Sinenſibus Chriſtianis vti his vocibus *Kim Tien*, ideſt, adoro Cœlum, vtentibus nomine *Cœlum* pro compellatione Diuini Numinis; venerari Confuſium, ac colere Proauos noſtros defunctos: Proindeq; affirmabant, poſtulatum à Sanctitate Veſtra, vt dignaretur extendere dictam prohibitionem ad omnes Prouincias. Attamen Ludouicus, cæterique, cum ſimus omnes Chriſtiani, & ſeruemus Diuina mandata, certè ſcimus, hæc in nullo contradicere Sanctæ Legis doctrinæ; neque in hoc habemus voluntatem ſiniſtrè defendendi aliquid occultum; quoniam hæc omnia ab initio Imperij Sinenſis obſeruata ſunt abſque vlla vnquam mutatione, ac ſi nunc repente velimus ea mutare, timemus, ne ſtupore maximo omnes afficiantur, ventique, ac vndæ perſecutionum ſtatim inſurgant contra Sanctam Legem: Et idololatriæ Cultores nos vndique oppugnabunt, ita, vt Lex Diuina nulla vnquam frui poſſit tranquillitate. Hac de cauſa, quoniam coram

HH
Dant iuratum teſtimoniũ coram Sanctiſs. Domino Noſtro, & Romanis Tribunalibus.

II
Ex literis Chriſtianorũ PeKinenſium intelligunt, prohibitionem horum rituum, & litterarum *KingTien* tactam in Prouincia *Fokien*

KK
Ex certa ſcientia teſtantur, & nolunt violare diuina mãdata, vt aliquid occultum male defendant.

LL
Ob grauia pericula, quæ ex prohibitione talium rituum Diuinæ Legi imminent in China, Sanctiſs. Domino Noſtro iurata teſtimonia offerunt.

Deo cum iuramento testati sumus, etiam submissè offerimus Sanctitati Vestræ hæc sequentia vera, & solida testimonia.

MM Per voces *Tien*, *Xang Ti*, & similes significatur apud Sinas Cœli Dominus, quem Christiani *Tien Chu* appellant.

Primò, Sinenses Litterati colentes omnium rerum Dominum, vel cum appellant *Tien*, idest, Cœlum; vel *Xam Ti*, idest Supremum Imperatorem; vel *Chin Cai*, idest, verum, rectum, ac perfectissimum Gubernatorem. Quoniam antiquitus Lex Diuina non est ingressa Imperium Sinense, ideo hominum compellationes sunt hoc modo diuersæ; licet tamen inter se non cohæreant in exteriori sono, sensus tamen idem est, omnes enim indicant Cœli Dominum; vti inter fideles, quidam nominantes Cœli Dominum, eum appellant rerum omnium Radicem, ac Principium [1]; alij Supremum Parentem, alij Magnum Dominum [2], ac Gubernatorem, in quo voces quidem sunt diuersæ, sed sensus idem est. Neque Christiani Sinenses adorant hoc cœruleum, & materiale Cœlum, quod oculis conspicitur, neque habent aliquam rationem, vt errare possint propter hanc duplicem significationem nominis Cœlum. Et hæc omnia coram Deo, & Sanctitate Vestra cum iuramento affirmamus.

NN Per voces *Ken yuen*, & *Chu cai* significatur Deus. Nec Christiani materiale Cœlum adorant, nec habent rationẽ errandi ex vsu talium vocum.

1 Sinicum exemplar habet *Ken yuen*.

2 In Sinico exemplari est *Chu cai*.

OO Confusius colitur, vt Magister.

Secundò, Confusius natus est Sæculo dicto Vere, & Autumno, idest, sub Imperio *Cheu*; & quoniam ipse in meliorem formam redegit, ac exposuit sex celebres illos antiquorum Libros, doctrinales dictos (idest Canonicos Sinenses, in quibus hæc omnia puncta controuersa continentur) addens documenta in futura Sæcula, quibus meruit haberi Magistrorum exemplar; Hac de causa omnes posteri Litterati, huius Imperij indigenæ, eum venerati sunt, vt ei gratias referant propter doctrinæ beneficium, nihil tamen ab eo vnquam petentes: Quemadmodum cæterarum artium, etiam mechanicarum, professores suis præbent Magistris reuerentiam; nec minùs Christiani Episcopis, ac Sacerdotibus propter doctrinæ præstantiam, ac beneficium omnes exhibent magnam æstimationem, & reuerentiam, quin id facientes ab eis aliquid petant: Quæ omnia cum iuramento coram Deo, & Sanctitate Vestra affirmamus.

PP Nihil petitur à Confusio.

QQ Parentes honorantur ex filiali affectu, & tabellæ illis eriguntur ad conseruandam eorum memoriam.

Tertiò, Quoad Proauos nostros defunctos. Hoc pro comperto habemus, quod dum viuunt, debeatur eis amor, & reuerentia; Post verò eorum mortem, etiam conueniens est, eorum recordari; hac de causa erigitur tabella *pai guei* dicta: Timemus enim, ne propter diuturnitatem eorum obliuiscamur: Quod si acciderit, nullus filijs, ac nepotibus

pôtibus supererit locus, ex quo eorum nomina exquirant; quare supra prædictam tabellam scribitur eorum natiuitatis, & mortis annus, mensis, & dies, necnon eorum nomina, officia, ac gradus, si quos habuerunt. Quæ ea intentione fiunt, vt hæc omnia faciliùs innotescant posteris, vel, si velint, ea facilè scrutentur. Omnibus annis cum reuerentia eis esculenta offerimus, quemadmodum, dum superstites erant, eos reuerenter alebamus: Quæ quidem non transcendunt obedientiæ, & reuerentiæ, parentibus debitæ terminos. Neque ab eis petimus aliquam felicitatem, vel speramus leuamen alicuius tribulationis, nec expectamus eorum animas, vel aliquem alium spiritum earum loco descendere, ac residere in ipsa tabella ad excipiendum oblationes, vel oblationum odorem. Quæ omnia cum iuramento coram Deo, & Sanctitate Vestra affirmamus.

R R
Inscriptio, quæ fit in tabellis progenitorum.

S S
Nihil à progenitoribus defunctis petitur, aut speratur.

T T
Non creduntur spiritus progenitorum descendere ad tabellas, vel frui oblatis.

Cum ab hinc 120. annis Lì Mateu (idest P. Matthæus Riccius) ingrederetur Imperium Sinense, perspicuè intellexit libros, & cæremonias Sinenses, ac de his cum Viris doctissimis disputans, eas summa cum diligentia examinauit, non audens cæcè discernere, sed semel, atque iterum de eisdem disputans, vt cognosceret, quæ essent admittendæ, & quæ reijciendæ: qua de causa Supremus Dominus etiam ei auxilium præstitit, vt longè, latèque propagaret Diuinam Legem, libros ediderit eruditissimos, quales antiquitas nunquam vidit, & multa animarum millia ad veram fidem conuerterit; & ideo huc vsque omnes eius non immemores, eum veneramur: ergo prædictus Pater etiam iudicauit, hæc omnia non contradicere puritati Sanctæ Legis, quia ea permisit, & non prohibuit: quare Ludouicus, cæterique simul cum iuramento testantes, deprecamur proprium Patrem Spiritualem, vt faciat hoc idem Instrumentum offerri Sanctissimo, ac Supremo Ecclesiæ Pastori, qui propter merita benignissimi Iesu Redemptoris Nostri dignetur propitio vultu perpendere in his omnibus rectam intentionem, quam Sinenses in his Cæremonijs habemus. Quod si hæc omnia non prohibeantur, Diuina Lex magnam consequetur propagationem. Imperatoris *Kam Hi* anno 41. Luna 9. die. Non subscribitur dies iuxta morem Sinicum.

V V
P. Matthæus Riccius audita doctissimorũ virorum Sententia summâ diligentiâ hos Ritus examinauit, vt bonos à malis secerneret fune insuper, & ipse, & eius libri in sũma æstimatione apud finas.

XX.
Petunt vt hoc illorũ Iuramentum offeratur Sm̃o D.N. cuius benignitatem implorant.

Submissè offerunt.

Ngai Ludouicus *Kien Sem* Honorarius Bacchalaureus

Puon Melchior	Cum Sem	Bacchalaureus emeritus
Vâm Michael	ArmorũPręfectus	
Siû Candidus	Kiù gin	Licentiatus
Kiu Iosephus	Sem yuen	Bacchalaurei.
Vam Iulius	Sem yuen	
Siu Stephanus	Sem yuen	
Siu Ba silius	Sem yuen	
Ngai Petrus	Sem yuen	
Siu Antonius	Sem yuen	
Siu Franciscus	Sem yuen	
Vam Ignatius	Sem yuen	
Ngai Paulus	Sem yuen	

YY, Reliqui Christiani maximo numero vnanimiter idem iurati testantur.

Et cæteri, qui maximo quidem numero, & vno corde cum iuramento testantur.

Traduxit P. Emmanuel Mendes Societatis Iesu, superior Residentiæ Ciuitatis *Xam hai* 11. Decembris 1702.

Testor hanc traductionem latinam Iuramenti facti, & subscripti à doctioribus Christianis Ciuitatis *Xam hay*, esse conformem sensui textus Sinici.

Alexander Ciceri Episcopus Nankinensis.

TESTIMONIVM.

Num. 4. Testimonia Gentilium ex eadẽ Prouincia NanKinensi.

Viri Litterati *Ou Tem*
Prouinciæ KiangNan Vrbis *Sucheu* Ciuitatis
Chang Xo Ou Tem

Locô ✠ sigilli.

Quæritur Sinici Imperij quis sit sensus in colendo Cumfusio, & in offerendo Maioribus?

A Confusij in Imperium Sinicũ merita.

Vir in Sinico Imperio summè eximius *Chi Xim*, egregiusque dicitur Cumfusius; Superiorum Principum *Tao*, *Xun*, *yu*, *Tam*, *Ven*, *Ou*, *Cheou cum* doctrinam complexus est, inferioribus verò posteris per omnes ætates nascituris in exhaustam doctrinam aperuit. Cùm ille scriberet libros *chun Cieu*, iam hæreses exsurrexerant, hominum recta institutio extincta, præcisaque erat, Magistratus turbarum amantes, filij rebelles, atque prædones. Vbique superbia, vbique audacia; Non multum erat discrimen à brutis animalibus. Hoc tempore, quo sæculum excoli necesse erat, *Xam Ti* Supremus Dominus hominum, hæresibus infectorum, & bruto-

brutorum adinstar luto velut infixorum, mala miseratus, produxit Cumfusium, vt veritatem in lucem proferret, idque ad rectitudinem inducendam, inde excultum sæculum, sciuit quid esset pietas, iustitia, virtusque; In quo sita essent officia Principum, Magistratuum, parentum, filiorum, coniugum, fratrum, amicorum. Confusij proinde merita valde magna sunt, eius virtus permulta est; ab ipso nationis exordio ad nostram vsque ætatem nullus ita floruit, vt Cumfusius. Nunc verò reuoluenda sunt antiqua carmina, studendum est Cumfusij libris, vt aperto litterarum examine aliquis ad Doctoris gradum promoueatur; vt Confusij verbis, dictisque honor habeatur; ex illis depromitur Thema ad peritiæ periculum faciendum. Excolere, ac reformare se ipsum, ordinare, & componere domum, gubernare, ac instituere Regnum, pacare, & æquè formare Imperium, Cumfusij doctrina est Litteratis addiscenda. Plebeij autem homines illi quoque inniti debent, nec decidere. Idcirco in Curia, & extra Curiam, vbique erecta sunt doctrinæ palatia. Quolibet anno Vere, & Autumno fiunt illi oblationes. Atque hoc modo honoratur, coliturque Vir ille, dignus quem homines suspiciant, admirentur, sequantur, atquè imitentur. Non tamen offertur Cumfusio, vt solet fieri in templis prauorum spirituum, nec fælicitas, aut mali depulsio petitur.

B
Doctrina Confusij.

C
Confusius colitur, vt Magister.

D
Cõfusius nõ colitur vt prauus spiritus.

E
Nihil à Confusio petitur.

Deuentum est ad decessores maiores. A parentibus corpus nostrum productum est. Cogitandum est de maioribus, etiamsi iam spectabiles non sint, nec hæc res remedium habeat. Ita illos animo voluere, id conuenit cum ratione à Cælo ingenita, filiorum nempe amor non obliteratur erigitur v.g. tabula lignea (*pai guei*) ad offerendum. Nempe spectanda est hæc tabella eodem modo, ac spectarentur parentes si adhuc viuerent. Ab Imperatore, Regibus, Principibus ad plebeios vsque homines, omnes oportet excitare in se, & conseruare diutissimè hunc sensum obseruantiæ, honoris, gratitudinisq; erga parentes velut sui originem. Liber *Ci y* dictus ait: abstinentiæ tempore cogitant filij parentum risum, verba, consilia, gaudia, gustus; vt imitentur, exprimantque illos, veluti adhuc superessent. Quomodo possent ita obliuisci illorum? quomodo possent non recordari? additur deinde, Imperatorem construere posse septem Parentalia mortuorum ædificia (miao) regulos quinque, Magnates tria, Mandarinum magnum duo, alios minoris

F
Tabellæ parẽtibus ponuntur, & honor illis exhibetur, ex filiali affectu ad conseruandam illorum memoriam.

G
Pro dignitate, & gradu, quẽ habuerunt parentes viui, cultus erga mortuos est diuersus.

ris Ordinis vnum dumtaxat.Ita cuilibet pro dignitatis gradu determinatur quid in ea re liceat. Omnia, vt non violetur id, quod debetur origini, radicique. Ita Cumfusius, vt vir valde eximius, ab vniuerso Imperio honoratur. Maiores verò à qualibet familia, vt familiæ radices, & Domini. Sic oblationes illæ nihil habent, quod rationem offendant, nihil habent, quod Cælo aduersentur. Ita ego paucis explicui Cumfusij cultum, & Auorum oblationes, quemadmodum oporteat hæc esse.

Testimonium hoc authoris nomine, & sigillo authenticum, conforme est originali Sinico. Ita testor
I. B. Regis è Soc. Iesu.

Ego infrascriptus ViceProuincialis Soc. Iesu Vice-Prouinciæ Sinensis testor, hoc exemplar originale tum sinicum, tum Latinum esse legitimum. In cuius fidem sigillum Officij mei hîc apposui. Pekini 13. Octobris 1702.

Loco † sigilli.

Antonius Thomas.

Ego Episcopus Macaensis testor, hanc esse veram, & propriam copiam originalis Macai 20. Ianuarij an. 1703.

Ioannes de Cazal Episcopus Macaonensis &c.

Loco † sigilli.

Ego Notarius Episcopalis fidem facio hanc supra testificationem esse propriam Illustrissimi D. Ioannis de Cazal Episcopi Macaensis, in cuius fidem hîc subscribo. Macai 22. Ianuarij an. 1703.

B. à Cunha.

TESTIMONIVM

Vnius Litterati *Vam Cham Xi*
Explicatio vocum *Kim Tien*

Prouinciæ *Kiang Nan* Vrbis *Su Cheu* Ciuitatis *Tai Chang* Litteratus *Vang Chang Xi*.

Loco † sigilli.

Supremus Dominus produxit Cœlum, Terram, Spiritus, Homines, rerumque omnes species, & perpetuò omnia seruat,

atquè

atque protegit, quin ad hæc omnia tempore egeat. Præterea quilibet homo accepit infusam ab eo animam, eam pollentem vi, vt discernere valeat bonum à malo, verum à falso, & prout vult agere, aut cessare. Hæc omnia certè sunt eximia Supremi Domini beneficia. Itaque Imperator hominum Dominus, huius Supremi Domini eximiæ beneficentiæ imprimis sciens, memorque duas has voces *Kim Tien* tabellæ inscripsit, vt doceret, omnium terrarum homines, seu Magistratus, seu plebeios, colendum Cælum, minimè verò illud Cælum, aut Cæruleum, aut figuratum, aut materiale *Ki*, aut *li*, aut *tai Kie*. Numquid ideò liber Canonicus *Xi Kim* ait: Supremus Dominus sese quasi demittit cum summa claritate, inspecturus quatuor Orbis plagas, populorumque actiones iudicaturus. Idem liber adhuc nonne ait: Supremus Dominus accedit tibi, Cor ne diuidatur. Quomodo igitur Imperator dicens hæc verba *Cælum Cole*: *Kim Tien* non significauit Cœli Dominum *Tien chu* esse colendum, & quis nam potest esse in hoc dubitationis Locus? Cœli ille Dominus est Summus omnium Parens, Summus *Dominus, ac Rector, radix, atque, Origo Cœli*, terræ, Spirituum, hominum, rerumq; omnium. Si non supponitur esse Cœli Dominus, quî rerum naturæ omnes possunt produci, perfici; Sæculum existere, resque quælibet proprium locum obtinere? Europæi Doctores tot stadia dimensi, totque ventos, atque procellas perpessi, clarè explicuerunt, atque ostenderunt, esse hoc in Mundo Cœli Dominum, superiora, & inferiora, Spiritus, & homines gubernantem; præcipientem fidelitatem erga Principes, obedientiam erga parentes. Quibus instructionibus aures multorum quasi obsurdescentes aperuerunt. Atque hoc Supremi Domini beneficium est. Quemadmodum Imperatoris beneficium est, Europæos Doctores hîc esse, sine quo venire non possent.

H Supremus Dominus *XangTi*, produxit omnia, & semper conseruat, infudit homini animam intelligentem, & liberam.

I Per *Tien* Cœlum nō intelligitur materiale *Li*, vel Ki, vel *Tai Kie*.

K Per *Tien* Cœlum absq; dubio intelligitur *TienChu* Cœli Dominus.

L Per voces *Chu cai*, & *Ken yuen* indicatur rerum omnium Author, & Dominus

In sinico ponuntur voces *Chu cai*, & *Ken yuen*.

Hoc testimonium authoris nomine authenticum versum est à me iuxta originale Sinicum.

I. B. Regis S. I.

Ego infrascriptus Vice-Prouincialis Societatis Iesu Vice-Prouinciæ Sinensis testor, hoc exemplar originale tum Sinicum, tum Latinæ versionis esse legitimum, in cuius fidem hic Officij mei sigillum apposui. Pekini 22. Octobris 1702.

Loco ✝ sigilli.

Antonius Thomas.

Ego Episcopus Macaensis testor, hanc esse veram, et propriam copiam originalis, in cuius fidem sigillum meum hìc appono, et subscribo, Macai 20, Ianuarij an. 1703.

Ego Notarius Episcopalis fidem facio, hanc supra testificationem esse propriam Illustrissimi *D.* Ioannis de Cazal Episcopi Macaensis. In cuius fidem hìc subscribo. Macai 22. Ianuarij an. 1703,

B. à Cunha.

Loco † sigilli.

Io. de Cazal Episcopus Macaonensis etc.

LIBELLVS SVPPLEX

SVMMO PONTIFICI

Num. 5. Testimonia ex Prouincia *Kiam Si* Christianorum.

A' Christianis Sinis Vrbis *Nan Tcham* quæ est Prouinciæ *Kiam si* Metropolis

anno 1702.

A. Præstant Iuratum testimonium, & rogant, vt illud in Linguam Europçá versum Sanctissimo D. N. offeratur.

Nos, *ou* Iacobus, *li* Ludouicus, *siu* Franciscus, Tcheou Iosephus, alijq; minimi Christianorum Vrbis *Nan Tcham*, quæ est Prouinciæ *Kiam si*, in Imperio Sinico Metropolis, Supplicem Libellum offerimus: Propterea, quòd Institutionis, acceptæque Doctrinæ beneficium obliuisci non possumus; aliundèque necesse est, præbere nos memores, & gratos erga Authores stirpis, qui & genuerunt, & tantâ curâ nos aluere; hinc est, quòd nos astringere solemni iuramento non dubitamus, rogamusque, & obtestamur, vt hoc nostrum Iuramentum, Europæâ linguâ redditum, offeratur Summo Pontifici, quo intelligere perspicuè possit Imperij Sinici veros sensus; atque adeo Sęculoruum omnium animabus Succurrere.

B. Ab ingressu Sanctæ Legis in Chinam semper erant ex Missionarijs magni nominis, & eruditionis viri, qui Sanctæ Legis Doctrinam verbo & scripto, vbique promulgârunt.

Iamdiu est, ex quo Christiana Religio Sinam ingressa est: Dudum longè, latèque propagata, plurimos semper habuit Magni Nominis, Summæ Authoritatis, ac eruditionis Viros; qui rite perceptis fidei Sanctæ Dogmatibus, maximè reconditis, eadem explicuerunt, ac Scriptis illustrârunt suis; sic, vt rudes etiam, ac tardioris ingenij submittere sese, atque amplecti veritatem, ac fouere didicerint: vtrique, docti videlicet, & indocti, quamuis Christiani, colere Cœlum, parentibus, & Magistris obla-

C. Hactenus non fuit, qui hos ritus vel

tiones offerre non destiterunt: nec fuerat hactenus, qui propterea aut de ipsorum fide secùs sentire, aut eos insimulare, & in Crimen vocare visus esset: Nunc verò accipimus esse, qni dicant: cùm Sinæ Cœlum colunt, ab ijs hoc flauocœruleum, & sensus expers, quod intuemur, adorari Cœlum; Cùm oblationes fiunt Confucio, Parentibusque mortuis, ideo fieri, vt aliquid ab ipsis obtineant: Quibus verbis rectæ rationi nihil contrarium magis, nihil ad perturbandas hominum mentes magìs idoneum, adeòque mirum esse non debet, si, dum hæc audiremus, summa fuerimus admiratione perculsi, neque iam abstinere possimus, quin veram istarum rerum rationem explicemus. Et verò hæc nobis à quibusdam affinguntur non alia de Causa, quàm quod Sinicorum Rituum germanum finem nullatenus intelligant, & aliunde suo iudicio tenaciùs, quàm par esset, addicti, quod semel cogitauerunt, omnino ita esse sibi persuadeant.

superstitionis arguere vel prohibere visus sit.

D

Ritus Sinici non recte intelliguntur ab eorum accusatoribus.

Magnum sanè, discrimen est inter Europæas linguas, sinicumque Sermonem; Styli pariter, sicut & literarum magna vtrimque differentia. Ita nos, dum Imperatorem appellamus, non modo *Supremum Dominum*, *Augustum Supremum*, *Supremum Regem* dicimus; Sed & aliquando *pi bia*, seu *infra eius Throni gradus*; aut *Tchao ting*, *Supremam eius Palatij aulam* nominamus: quo manifestum fit, cur pariter, *Cham ti*, seu *Supremum Imperatorem* aliquando Cœli nomine nuncupemus: eadem est enim sermonis proprietas; atque cum Principem nostrum *Tchao Ting*, seù *Supremæ Palatij Aulæ* nomine nuncupamus. Porrò *Cham ti* cùm à nobis appellatur, ipsum Deum, seu *Tien Tchu* Cœli Dominum appellari, minimè dubium est.

E

Supremus Dominus appellatur quandoque *Tien* Cœlum, sicut Imperator solet appellari *Chao Ting* Aula Imperialis.

F

Per voces *Xang Ti*, & *Tien* intelligitur *Tien Chu* Deus.

Antiquis temporibus, priusquam Confucius nasceretur, malæ doctrinæ homines bene multi inualuere, qui errorum suorum virus, per Sinicum Orbem disseminarunt, populosque deceperunt; his restitit Confucius, confutauit errores, Officiorum leges, rationemque constituit, quid pietas esset, quid iustitia Sinas edocuit, & sana doctrina, Sapientibusque monitis posteriorum ætatum homines sic erudijt, vt & dispellere tenebras ignorantiæ, & à brutis sese possent animantibus secernere: Nos memores traditæ doctrinæ propter tantum beneficium honoramus ipsum, eidemque oblationes facimus, quod omnino rationi consentaneum est: Siquidem manifestè patet, nos, dum Confucium colimus, solummodo ea, quæ, dum viue-

G

Doctrina Confusij.

H

Confusius colitur ob ea, quæ viuus Sinis contulit beneficia.

I
Nõ honoratur Confusius, quasi post mortẽ habeat potestatem, aut autoritatem aliquam.

uerer, in nos contulit beneficia, & quas exercuit, celebrare virtutes; non verò quasi post mortem, aut potestatem, aut autoritatem habeat, ipsi honorem exhibere.

Ad Auos Parentesque quod attinet; Sanè à Deo solo animam accipimus, sed corpus à Deo per Patrem, Malemque producitur. Iam verò sicut habeo parentes meos, sic, & illi suos habuere: atque ita gradu veluti facto ad Authores stirpis, Auos videlicet, peruenitur. Dum ipsis oblationes facimus, idem est, acsi Parentum loco, ipsorummet Parentum Patrem, & Matrem veneraremur, quæ est obedientiæ filialis præcipua pars. Inter decem Præcepta Dei, quartum sic habet, Honora Patrem, & Matrem, & illis obsequere. Hæc nos non modo Parentibus viuis, sed & post eorum mortem constat exequi oportere. Patre, & Matre viuis, obedientiæ filialis partes omnes verè adimplere necesse est; ergone Defunctis illis, ille ipse, quo ipsos honorabamus, quo ijs obsequebamur, animus statim euanescet? minimè sanè; quoniam colere eos vt vitæ, & educationis authores nostræ, ijsque oblationes facere, res est omnino rationi consona. Nam ex dictis manifestè deducirur, per honores illos, quos exhibemus Auis, & per oblationes, quas facimus, nihil aliud à nobis intendi, quàm vt pro accepta Vita, & educatione nos gratos, & memores erga ipsos præbeamus; nullatenus autem, vt agnoscamus ijs inesse vim, aut potestatem aliquam, qua nos protegant, nobisque opitulentur. Nunc verò, si Confucium abijceremus, neque ipsi exhiberemus honores consuetos, non modò invrbani, & omnis æquitatis expertes haberemur, sed & minimè vitare possemus reprehensionem hominum, qui nos optimi Magistri discipulos ingratos inclamarent; eo nomine summo nos odio prosequerentur, quin, & execrarentur, nec vllum ampliùs nobiscum vellent habere commercium. Quis verò tantum probrum sustinere queat? Pariter, si Auorum cultum proijcimus, nec illos consuetis oblationibus honoramus, censebimur violare virtutes, veræ obedientiæ inimici existimabimur, nullus erit in Orbe Sinico, quin nos contumelijs, & probris afficiat: Quodnam est, inquient, nouum istud genus hominum, qui Parentibus rebelles sunt, quos præoculis habuere, Patrem nesciunt, Matrem ignorant, auos, atauosque contemnunt? Quis eos credat nosse Corporis expertem, nulla figura circumscriptum verum rerum omnium Moderatorem, & Dominum? Demum si, cùm appellabimus Deum; Solo nomine

K
Parentes Defuncti solùm honorantur ex filiali affectu, & gratitudine.

L
Non agnoscitur in parentibus defunctis vlla potestas.

M
Mala ex prohibitione Rituum Sinensium.

ne *Tien Tchu* nobis vti licet; Si voces *Tien*, & *Cham ti* penitus excluduntur, ergo iam antiqui Sinarum libri, nulli nobis vsui esse possunt; cùm in ijs immutare quidquam minimè nobis integrum sit: atqui nunc temporis, cùm etiam num Infideles adhortamur, & ad rectam reuocare viam contendimus, nullo fere felicius argumento impugnamus eos, quàm cùm ex antiquis libris textus adducimus: tunc illi dant manus, & dictis fidem adhibent: at si semel definiretur, vocibus *Tien*, & *Cham ti*, non eundem inesse significatum, quem habent duæ literæ *Tien Tchu*, quis non videt, eo ipso suspectam fore doctrinam nostram, nosque Aduersarijs nostris tum calumniandi nos, tum confutandi ansam esse præbituros.

N Si voces *Tien*, & *Xang Ti* ad appellandum Deum penitus excludantur, libri Sinici iam nullo Vsui esse poterunt.

O Gentiles ex vsu vocum *Tien*, & *Xang Ti* facilius inducuntur ad agnoscendum Deum.

Igitur his omnibus rite perpensis, nos, *Ou* Iacobus, & alij nouissimi Christianorum, circa honores Confucio, & Parentibus exhibitos, atque appellationes *Tien* Cœli, & *Cham Ti*, *Supremi Imperatoris*, iudicauimus iuramentum emitti oportere, & illud quidem emittimus coram Deo, rogamusque, & obtestamur Patrem, cui nostrarum animarum cura commissa est, traducere in Europæam linguam iuramentum hoc nostrum, vt offeratur Summo Pontifici, quo veros Sinarum sensus possit percipere, & omnium fidelium saluti prospicere. Iuramentum sequitur hoc modo.

P Repetunt Iuramētum suum, & rogant, vt ab ipsorū Missionario vertatur in Linguam Europęam, & offeratur Sanctissimo D. N.

I. Iuramentum. Confucius apud Sinas habetur vt Magister, qui docuit homines virtutis viam, nullatenus inter Idola, aut malos Spiritus numeratur. Cum Sinæ eum colunt, eique oblationes faciunt, hunc habent finem, vt pro traditæ doctrinæ, & institutionis beneficio ipsi gratias agant, at nulla ratione volunt, Confucio in esse vim, aut potestatem: minimeque rogant, vt ipsis ingenium, aut prefecturas, aut auxilium, & tutamen impertiat.

Q Confusius non colitur vt Idolum aut malus spiritus, sed vt Magister.

R Nulla inest Confusio vis aut potestas, & nihil ab eo petitur.

II. Iuramentum. Parentes, & Aui sunt humanæ Vitæ principium, ac Origo: illis obsequi, eos colere, eorumque meminisse, omnino est necessarium Officium: propterea nepotes, & filij cum metuant, ne succedentibus annis post longa tempora, Parentum, Auorumque nomina obliuione deleantur, Tabellas erigunt, quibus illa nomina sunt inscripta, vt faciliore opera singulis annis, statis temporibus honorent eos, & ipsis oblationem faciant: Qua in re id vnum intendunt, vt erga Stirpis Auctores gratum animum manifestent, eosque repræsentent sibi non secus, ac si essent superstites: At nullatenus existimant, Auorum Animas in illis Tabellis residere,

S Progenitores defuncti honorantur & tabellæ illis eriguntur ex filiali affectu, & ad conseruandam eorum memoriam.

T Non creduntur animæ Defunctorū esse in tabellis, vel habere potestatem aliquam.

aut

aut habere poteſtatem aliquam, aut ſi quis eas precetur, preces exaudire poſſe, & reſpondere.

V
Per *Tien*, & *Xãg Ti* intellegitur Deus.

III. Iuramentum. Appellationes *Tien*, & *Cham Ti*, quæ apud Sinas vſurpantur, ſunt per antiquos libros ad nos vſque tranſmiſſæ: Earum autem legitimus ſenſus is eſt: Supra cœlum exiſtere ſummè Pium, ſummè Miſericordem, Omnipotentem, Omniſcium, qui bona præmijs afficit, mala punit, *verum Moderatorem, & Dominum*; nec vllatenus eiuſmodi nominibus colitur flauo Cæruleum, & materia, ac figura conſtans Cœlum, quod intuemur.

In Sinico originali ponitur *Chu cai*.

X
Per *Chu Cai* ſignificatur moderator, & Dominus.

Y
Falſo Iuramento ſecundum Dei præceptum infringere neutiquam audent.

Z
Mala, & pericula, quæ poſſent ſequi ex prohibitione talium rituum.

In hoc triplici cultu, de quo ſupra, non alius eſt verus Sinarum ſenſus, quàmquem explicuimus: Neque vero ij ſumus, qui falſo Iuramento ſecundum Dei Præceptum audeamus infringere. Si ergo obliuiſceremur antiquum Magiſtrum, nec eum coleremus, vereremur, ne vrbanitatis expertes, ac Iuſtitiæ cenſeremur; quo dedecore nihil probroſius: Si Parentes, & Auos abijceremus, nec ipſis faceremus oblationes conſuetas, metueremus, ne virtutibus inferremus bellum, ipſamque violaremus obedientiam; quod ſupplicio dignum foret. Demum ſi, cùm appellatur *Tien Cœlum, & Chamti* Supremus Imperator, aliud intelligeretur, quam cùm dicitur *Tien Tchu* Cœli Dominus; prauæ Sectæ nomen, ac malæ doctrinæ ſuſpicionem vitare non poſſemus. Quo fieret, vt non modò Infideles non poſſent errores agnoſcere, & ad viam veritatis reduci, ſed nec ipſi Chriſtiani à perpetuis terroribus, ſummiſque anxietatibus vindicari. Quo quid poſſet vnquam Sinenſium animabus excogitari funeſtius? heu! Sanctæ legis ſalus, aut ruina, in hoc cardine vertuntur: Quo circa nos *Ou* Iacobus, & alij, ſummo mœrore confecti, ac profuſis lacrymis ſupplicem hunc libellum offerimus. *Cam hi* anno 41. 9. Luna, ſecundo die.

Nomina &c.

1. *Ou* Iacobus priùs in Vrbe *Nan ſum bien* Litteratorum Præfectus.
2. *Li* Ludouicus ex Vrbe *Ta yu bien* Ciuitatis *Nangan ſou* Baccalaureus.
3. *Siu* Franciſcus.
9. *Li* Andreas.
4. *Tcheou* Ioſephus.
13. *Tan* Thomas.
5. *Siu* Philippus.
10. *Teou* Petrus.
6. *Tchang* Ignatius.

14. *Siu*

14. *Siu* Iosephus.
7. *Tchie* Paulus.
15. *Siu* Thomas.
8. *Kao* Maximus.
11. *Tu* Hyacinthus.
12. *Pi* Matthæus.

Hoc scriptum Sinicum subsignatum fuit nobis præsentibus à Christianis, quorum hîc nomina leguntur. Ità testamur *Nanchang Fu* in Vrbe Metropoli Prouinciæ Kiang si die 25. Octobris 1702.

Ioannes Franciscus Foucquet.
Stephanus Guillelmus Le Couteulx.
Petrus Vincentius de Tartre.
Ioannes Noelas.
Petrus de Gouille.

Omnes è Societate Iesu Sacerdotes.

Loc. ✠ Sigilli.

Versio Iuratæ petitionis Christianorum in Vrbe *Canchea*.

AA
Vltra quadraginta annos iam habent Sacerdotes qui illis S. Legem promulgant.

Ex Regni Sinarum Prouincia *Kiamsi* Vrbe *Cancheu* diuinæ legis peccatores captiui Petrus *vù*, Ioseph *Lie*, Ioachim *Lien*, & alij sic referunt. Singulari, quo afficimur, Dei beneficio à quadraginta, & ampliùs annis dignamur habere Sacerdotes, qui promulgant diuinam legem, nos peccatores captiui quàm maximè gaudemus. Attamen sunt aliqui Europæi Magistri dubitantes de Ritibus, quibus honoramus Confusium, & Auos. Superioribus annis propriæ Vrbis nostræ Gubernatores statim, ac receperunt declarationem Imperatoris super hæc, obtulerunt eam Patri Missionario Carolo Amiani, omnibus maximè laudantibus, & extollentibus Sacerdotes in Aula PeKinensi, eò quòd tam bene penetrarent, & intelligerent Regni Sinarum veros, & optimos ritus. Hoc non obstante, inter Europæos Magistros nostros adhuc sunt in his locis, qui dubitant, & volunt prohibitione coercere. Nos prædicti maximè tristamur, quia à teneris annis studentes libris nondum animaduertimus, in prædictis Ritibus esse intentionem amouendi infelicitatem, & petendi felicitatem, aut aliud quid simile. Metropolis nostræ P. Magistro Frãcisco Noel festinanter redeunte in Occidentem, tunc non præparauimus libellum supplicem: Nunc Nobiles, & litterati congregati, & inter se consultantes, petunt à propriæ Ecclesiæ Sacerdote, vt sibi ipsis liceat Iuramento affir-

BB
Imperatoris circa hos ritus declaratio per Gubernatores publicata, & summè approbata fuit.

CC
A teneris annis studentes libris Sinicis, nondum animaduerterunt, in his ritibus esse intentionem petendi aliquid.

DD
Nobiles, & litterati, simul congregati, petunt à suo Missionario licentiam deponendi iuratũ Testimonium, & sperant illud esse transmittendum ad SS. D. N.

EE

In honorando Cófusio adhibentur ritus, qui solent adhiberi erga Magistros, ille ab Idolis Bonziorum maximè differt, nec habetur intentio aliquid sperandi, vel obtinendi à Confusio.

FF

Honorantur parétes, & habentur Tabellæ cum eorum nomine ad conservandam eorum memoriam, quasi adhuc existerent. Non dicuntur eorú animæ residere in Tabellis, nec est intentio aliquid ab ijs petendi.

GG

Defuncti non veniunt ad Tabellas, nec fruuntur oblatis.

HH

Per voces *Tien*, *Chu cai*, & *Xang Ti* intelligitur verus Dominus, quem Christiani appellant *Tien Chu*.

firmare, & simul sperant Iuramentum, seu iuratum Testimonium transmittendum Romam ad Summum Potificem, vt de his examinet, & definiat.

Primò Iuramento affirmamus, ritus honorandi Confusium ex sua prima institutione, & Origine esse in gratiarum actionem ob traditam doctrinam. Confusium ab Idolis Sectæ *foe*, & *LaoKium*, siue Bonziorum, quàm maximè differre, ideò in eo honorando adhibentur ritus, qui adhiberi solent erga Magistros, nec habemus intentionem sperandi, aut obtinendi &c.

Secundò Iuramus, Ritus honorandi defunctos parentes esse, quia post longum tempus non patimur obliuisci eorum amoris, & beneficiorum, quæ recepimus, propter hoc erigimus tabellas cum eorum nomine, veluti si adhuc existerent; nec dicimus animas supra residere, nec habemus intentionem petendi felicitatem &c.

Præterea iurati affirmamus; In China, quando exhibentur honores defunctis Auis, non est, quòd dicatur in prædictis tabellis esse animas aduenientes, vt recipiant odores, aut vt bibant vinum, & comedant carnem, sed tantùm, quia non erigere istas tabellas, eo ipso est obliuisci beneficiorum, adeoque non expedire prohibitione impedire.

Præterea Iurati dicimus, hanc vocem *Tien*, vel *Cœlum*, habere duplicem significationem, materialis, & immaterialis. Quoties dicitur *Chu Cai*, vel *Creator Xamti* Supremus Dominus, & similiter &c. idem esse, ac dicere rerum omnium verum Dominum, quem Christiani appellant *Tien Chu*, idest Cœli Dominum.

Imperatoris anno 41. noni mensis lunaris die secunda, siue 22. Octobris anni 1702.

Petrus *Vu* electus ad Mandarinatum in litteris.
Ioseph *Liè* deputatus ad Mandarinatum in armis.
Ioachim *Lieu*)
Augustinus *Quo*) Baccalaurei.
Petrus *Quo*)
Ioannes *Sie* litterarum Candidatus.
Franciscus *Ven*) Electi, vt singulis mensibus exponant
Petrus *Sie*) populo decreta Imperatoris.
Eustachius *Chum* Primarius Christianorum Catechista.
Laureutius *Li* Catechista Secundarius.

Figuræ verò quæ post nomen scriptæ sunt, sunt loco Sigilli more Sinico.

Ego infrascriptus Societatis Iesu Missionarius in hac Vrbe *Canchеu*, & alijs locis extra Vrbem iuratus Testis affirmo, istius

istius Vrbis, & adiacentium locorum Christifideles decreuisse, mittere Testimonium iuratum ad Summum Pontificem, prout de facto scripserunt, & iurarunt, exclusis priùs alijs, qui forte non erant capaces ferendi iudicium in hac materia: Adeòque eorum petitionem juratam interpretatus sum, vt ipsi petierant, recusata adhuc alia petitione longiori, eò quòd non sit satis otij interpretari, antequam naues soluant.

P. Carolus Amianus Soc. Iesu.

Ego Episcopus Macaensis infrascriptus testor, esse veram, & propriam hanc affirmationem P. Caroli Amiani Societatis Iesu, in cuius fidem Sigillum meum hîc apposui.

Macai 20. Januar. an. 1703.

Ioannes de Cazal Episcopus Macaonensis &c.

Loc. ✠ Sigilli.

Ego Notarius Episcopalis Testor, & fidem facio, supradictam testificationem Illustrissimi Domini Ioannis de Cazal Episcopi Macaensis esse veram, in cuius fidem hîc subscribo. Macai 22. Ianuar. 1703.

B. a Cunha.

TESTIMONIVM.

Viri docti *Ho' Pen' to* ex Oppido *Tum sin Hien* sub Ciuitate *Ki-gan-fou* Prouinciæ *Kiamsi*.

Cœli, Terræ, trium Regionum, decem plagarum, omnium entium intellectualium Dominus, profectò idem est, *ac verus Dominus*, qui condidit Cœlum, Terram, hominem, res omnes.

In Sinico est *Cbucai*

II
Voces *Chu cai* significant verum Dominum.

Qui seruiunt mortuis maioribus, illisque erigunt tabellas, nihil aliud intendunt, quàm seruare ipsorum nomina, non obliuisci originis suæ, & obedientiam, honoremque testari. Quomodo igitur illis Tabellis insidebunt? inde est, quod nihil planè speretur, nihilque petatur.

KK
Honor parentibus defunctis fit, & Tabellæ illis eriguntur ad conseruandam memoriam originis suæ.

LL
Non creduntur parentes mortui præsentes in Tabellis, & nihil ab illis speratur, nihil petitur.

Prouinciæ *Kiang si* Vrbis *KieNgan* Ciuitatis *Tungsin Ho* Benedictus scripsit.

Pro † Sigillo.

Hoc Testimonium ex nomine, & Sigillo Authoris authenticum ex Sinico latinum fideliter feci.

Ita Testor. I. B. Regis Soc. Iesu.

Ego infrascriptus Vice-Prouincialis Societatis Iesu Vice-Prouinciæ Sinensis testor, hoc exemplar originale, tum Sinicum, tum latinæ versionis esse legitimum, in cuius fidem

dem Sigillum mei Officij hìc apposui. PeKini secunda Octobris 1702.

Loc. ✝ Sigilli.

Antonius Thomas.

Ego Episcopus Macaensis testor, hanc esse veram, & propriam Copiam Originalis in cuius fidem sigillum meum hìc appono, & subscribo. Macai 20. Ianuarij ann. 1703.

Loc. ✝ sigilli.

Ioi de Cazal Episcopus Macaonensis &c.

Ego Notarius Episcopalis fidem facio, hanc suprà testificationem esse propriam Illustrissimi Dñi Ioannis de Cazal Episcopi Macaensis, in cuius fidem hìc subscribo. Macai 20. Ianuar. 1703. B. à Cunha.

Num. 6. *Testimonia ex Prouincia* Huquang.

Testimonium iuratum
à quinque Doctoribus Prouinciæ *Huquang*.

A

Tien, Xang Ti, & similes appellationes idem apud Sinas significant, quod Christiani appellāt *Tien chu Cæli Domi num*.

Primo quod Sinensis Imperij libri Classici, & vsitatæ loquendi formulæ appellant *Tien Cælum*; *Hoang Tien Augustum Cælum*; *Xang Ti Supremus Imperator*; *Lao Tien ye antiquus Cælestis Dominus*, & similibus nominibus, vel litteris, cum eo, quod Dei Lex appellat duabus litteris *Tien chu Cæli Dominus*, eandem significationem habet, neque diuersus est sensus; & hinc *King Tien, venerari Cælum*; *Kingxang Ti, venerari Supremū Imperatorē*: *King Lao Tien ye, venerari antiquum Cælestem Dominum*; omnia pariter sunt venerari vnum maximum *Dominum, & Gubernatorem*. Et hęc iuxta nostrum proprium sensum vniuersalis, & communis explicatio est talis. In Sinico est *Chu cai*.

B

Chu cai significat Cæli Dominum, & Gubernatorem ex vniuersali, & communi explicatione

C

Confusius, & progenitores solùm honorantur, quasi si viuerent, ex grato an'mo erga parentes, & Magistrum. Nihil ab ijs petitur, nec speratur, nec creduntur adesse, aut venire ad tabellas.

Secundo Ritus, quo in Imperio Sinico coluntur Parentes defuncti, & Confusius nullas habet deprecationes, vel inuocationes; insuper non creditur, defunctorum animas esse in illis tabellis, vel venire ad adiuuandum, & auxiliandum: nihil est aliud, quàm seruire mortuis, ac si seruiretur viuis, seruire defunctis, quasi si adhuc superstites essent, implendo ita obedientiæ, & reuerentiæ filialis perfectionem, & gratias agendo Magistro pro instructione, & doctrina: hoc est, & nihil aliud.

D

Hæc omnia verissima esse iurati testātur.

In Imperio *Ta Zing* (moderno Tartaro Sinico) Prouinciæ *Huquang* minimi Christiani *Li Paulus*, & reliqui, audemus subscribere nostra nomina, & stantes coram Deo iurare, ea, quæ hìc superiùs scripta sunt de ritibus vene-

randi

randi Confusium, venerandi parentes defunctos, & de *King Tien*, seu colendi Cœlum, omnia esse verissima, & certissima, omnia congrua communi doctrinæ, & vniuersali sensui. Et si fortè quædam alia falsa, vel vana dicantur, illa in China sunt Hæreses (seu differentes doctrinæ à Sinica) nec conueniunt cum vniuersali Sinarum sensu.

E Alia falsa, vel vana, quæ dicuntur, in China sunt hæreses, nec conueniunt cum vniuersali Sinarum sensu

Kang Hi (moderni Imperatoris) 41. anno, octauo mense, decimo octauo die.

Li Paulus	*Cin su*, seu Doctor primi Ordinis, Oriundus ex Prouincia *Kiangsi*, doctoratus laureâ donatus anno *Kia sio* (1694.) nunc Gubernator Ciuitatis *Heng Xan* subiectę Vrbi *Heng Cheu*.
Lieu Petrus	Oriundus ex Ciuitate *Siang Tan* subiecta Vrbi *Chang Xa*, postea eligendus in assessorem Gubernatoris Vrbis secundi Ordinis.
Ceng Emmanuel	Oriundus ex Ciuitate *Siang Tan* Baccalaureus primus primi Ordinis.
Chang Stephanus	Ex Vrbe *Siang Tang* Baccalaureus primus secundi Ordinis.
Quo Iosephus	Ex Vrbe *Siang Tang* Baccalaureus primus tertij Ordinis, *vel tertius primi Ordinis*.

TESTIMONIVM.

Viri docti *Ten Xam Fy*, Sancto nomine *ya-co-pe* (Iacobi) ex oppido *yum-Sin-Hien* sub Ciuitate *Ki gan fou* ex litteratis Ciuitatis *Cham xa fou*.

Regni Sinici homines, à puero litteris dediti, colunt quidem Confusium; at vt Magistrum, non verò, vt Collatorem opis. Confusius ipse iubet homines vereri Cœli mandatum, ideo ait: *natura est Cœli mandatum.* Scit vtique, existere Cœli aliquem *Dominum, ac rectorem*; noscitque illum. Scit vtique, rationalis animæ naturam esse quid ab illo Dominc productum. Ideòque id Studiosè petit, vt homines rectè intelligant hanc suam vocem, ad Orbis vniuersi formationem, moresque sufficientem. Ob eam causam Confusius colitur; quonam verò pacto fœlicitas ab illo peteretur? quemadmodum in oblatione, maioribus de-

F Sinæ à puero litteris dediti colunt Cófusium, vt Magistrum, non vt collatorem opis.

G *Chu cai* significat Dominum, & rectorem.

In Sinico est *Chu cai*,

H Confusius colitur ob suam doctrinam quam dedit Impe-

rio Sinico, & nihil ab illo petitur.

I

In honorandis parentibus defunctis spectatur obedientis filij sensus, non vero felicitatem petentis.

K

Non æstimatur, quod parentes possint nepotibus demittere felicitates.

L

Imperator sacrificans Cœlo colit Cœli Imperatorē, non verò cœruleū Cœlum.

defunctis exhiberi solita, spectatur obedientis filij sensus, non verò fœlicitatem petentis. Nos verò Christiani maioribus quoque nostris offerimus: Nam etiamsi sciamus, decem mandatorum tria priora referri ad Cœli, rerumque omnium Dominum, & septem posteriora mandata referri ad hoc, *diliges proximum sicut te ipsum*; nihilominus scimus, priorem in proximi dilectione locum tenere amorem Patris, ac Matris. Non debemus ergo illorum vnquam obliuisci, non verò existimare, maiores defunctos posse demittere ad nos fœlicitatem vllam. Quod autem pertinet ad Sacrificium Cœlo offeri solitum. Imperatoris est illud offerre, nullus seu ex litteratis, seu ex populo id audeat. Imperator certè colit Cœli Imperatorem, non verò cæruleum, ac visibile Cœlum. Ita ausus sum respondere ad quæsita.

Prouinciæ *Kiangsi* Vrbis *Kiengan* Ciuitatis *Tungsin* ex Litteratis Vrbis *Chang Xa, yen Xangfy*, Sancto nomine Iacobus signauit ✠ pro sigillo.

Hoc testimonium Authoris nomine, & sigillo authenticum, est Sinico originali conforme. Ita testor, qui verti.

I. Baptista Regis Soc. Iesu.

Ego infrascriptus Vice-Prouincialis Soc. Iesu Vice Prouinciæ Sinensis, testor, hoc exemplar originale tum Sinicum, tum Latinæ versionis esse legitimum. In cuius fidem sigillum mei Officij hic apposui, Pekini 2. Octobris 1702.

Loc. † sigilli.

Antonius Thomas.

Ego Episcopus Macaensis testor, hanc esse veram copiam. Macai 20. Ianuarij ann. 1703.

Loc. † Sigilli.

Ioannes de Cazal Episcopus Macaonensis &c.

Ego Notarius Episcopalis fidem facio testificationem supra esse veram. Macai 22. Ianuarij ann. 1703.

B. à Cunha.

TESTIMONIVM.

Viri docti *Cem Paulj ex Siam tan*,

M

Chu cai significat Deum.

Quicumque ingreditur Religionem, scit *verum Dominum* Cœ-

In Sinico est *Chu cai*.

Cœli, terræ, trium Regionum, decem plagarum, omniumque entium intellectualium eumdem esse, ac Dominum Conditorem Cœli, terræ, hominis, rerumque omnium. Qui verò non sunt ingressi Religionem, suntque nostris studijs dediti, & veritatis exploratores, idem quoque sciunt. Si verò studijs nostris vacantes veritatem non rectè explorant, aut libris non vacant, id nesciunt. In erigendis tabellis maioribus id quæritur, vt nomina illorum seruentur, & obliuio originis non subeat. Cumfusius, ideo ait seruire mortuis perinde, ac viuerent, seruire illis, qui abierunt perinde, ac adessent. Quomodo ab illis peteretur auxilium?

✠ pro sigillo

N Studijs Sinicis dediti, & veritatis exploratores cognoscunt verum omniū rerum Dominum.

O Tabellę parentibus defunctis eriguntur, ne obliuio subeat originis, & nominis parentum.

P Nihil petitur à defunctis.

Ciuitatis *Siang Tan Ceng* Paulus composuit.

† pro sigillo.

Hoc testimonium Authoris nomine, sigillo, & cifra authenticum, è Sinico fideliter verti.

I. Baptista Regis è Soc. Iesu.

Ego infrascriptus Vice-Prouincialis Soc. Iesu V. Prouinciæ Sinensis testor, hoc exemplar originale tum Sinicum, tum latinum, esse legitimum in cuius fidem sigillum Officij mei hîc apposui. Pekini 13. Octobris 1702.

Loc. † sigilli.

Antonius Thomas.

Ego Episcopus Macaensis testor, hanc esse veram, & propriam copiam Originalis, in cuius fidem hîc subscribo, & appono sigillum meum. Macai 20. Ianuarij an. 1703.

Loc. ✠ sigilli.

Io: de Cazal Episcopus Macaonensis &c.

Ego Notarius Episcopalis fidem facio, hanc supra testificationem esse propriam Illustrissimi Dñi Io: de Cazal Episcopi Macaensis, in cuius fidem hîc subscribo. Macai 22. Ian. ann. 1703.

B. à Cunha.

TESTIMONIVM.

Viri docti *Leou y na cio* (Ignatij) ex *Xe citu* sub Oppido *Siam-tan-Hien*.

Europæi nonnulli Doctores, qui animaduerterunt, nostri Regni homines passim erigere, & inscribere tabellæ cuidam

Q Per Cœli, terræ, & rerum omnium Dominum intelligitur à Sinensibus verus Dominus.

 hos

hos decem Characteres: Cœli, Terræ, trium Regionum, decem plagarum, omniumque intelligentiarum verus Dominus, & hanc tabellam venerari etiam oblationibus; iam petunt, quid illa tabella sibi velit? Paucis verbis respondebo: Inscriptæ hæ quatuor primæ voces, *Cœli*, *Terræ*, *trium regionum* complectuntur latitudinem, seu rerum amplitudinem. Voces verò quatuor *decem plagarum*, *omnium intelligentiarum* referuntur ad multitudinem, numerumque. Omnes verò pertinent ad cultum veri Domini, quem duæ superstites litteræ *Chin Cai* exprimunt. At is nonne est *Dominus*, & *gubernator* rerum conditarum, cœli, terræ, spirituum, hominum? Petunt etiam, quis sit sensus oblationum erga mortuos parentes, & erectas ijsdem tabellas? Posteri cùm iam parentum vultum videre nequeant, ideo erigunt illis tabellas, inscribuntque ipsorum nomen, ne obliuiscantur; existimantes, parentes suos esse erga filios id, quod fons est respectu aquæ, & radix respectu arboris. Non verò his tabellis insidere animas Defunctorum; nec volunt vllam petere ab eis felicitatem, nec implorare auxilium. In quatuor temporum oblationibus, dum intuentur parentum inscriptum nomen, ita cogitando afficiuntur, vt illos sibi præsentes videre videantur; nec ideo aliud volunt, quàm filialem obedientiam erga illos in lucem producere.

In Sinico est *Chu cai*.

R
Chu cai significat Dominum, ac gubernatorum.

S
Tabellæ parentum defunctorum erigũtur ex filialj affectu ad conseruandam eorum memoriam.

T
Non creduntur animæ defunctorum præsentes in tabellis.

V
Nihil volunt petere a defunctis.

Ex *Xe-Ci-tu*-Oppido subiecto Ciuitati *Siang Tan*, *Leou* Ignatius.

✠ pro Sigillo.

Hoc testimonium authoris nomine, & sigillo authenticum, è Sinico fideliter interpretatus sum.

Io: Baptista Regis è Soc. Iesu.

Ego infrascriptus Vice-Prouincialis Soc. Iesu Vice-Prouinciæ Sinensis testor, hoc originale exemplar tum Sinicum, tum latinæ versionis, esse legitimum. In cuius fidem officij mei sigillum hîc apposui. PeKini secunda Octobris 1702.

Antonius Thomas.

Loc. † Sigilli.

Ego Episcopus Macaensis testor hanc esse veram, & propriam copiam Originalis, in cuius fidem appono hîc sigillum meum

meum, & ſubſcribo. Macai 20. Ianuar. anni 1703.
Loc. † Sigilli.
Ioannes de Cazal Epiſcopus Macaonenſis &c.

Ego Notarius Epiſcopalis fidem facio, hanc ſupra teſtificationem eſſe propriam Illuſtriſſimi D. Epiſcopi Macaenſis Domini Ioannis de Cazal, in cuius fidem hîc ſubſcribo. Macai 22. Ianuarij an. 1703. B. à Cunha.

TESTIMONIVM.

Vnius Licentiati Chriſtiani *Cem Pen to* Benedicti.

X Ritus controuerſi nihil habent contra S. Legem.

Ad quæſita de ritibus pertinentibus ad cultum Cœli, Confucij, ac Progenitorum defunctorum, reſpondeo; quamuis Sinæ ſummopere ab alijs differant loco, moribus, tamen quoad ſenſum dictorum rituum, nihil differre à Sancta Chriſti lege. Atque aſſero, cùm Cœlum colunt, eos non Cœlum materiale, ſed ipſum Cœli *Rectorem*, *ac Dominum* reuereri: huncque Cœli nomine appellare, veluti à præcipuo Mundi, in quo reſidet, loco, ſeu palatio, imò, & hanc appellationem eſſe analogicè eandem, cum his, quibus appellant aut ſuum Imperatorem *Pi bia*, nempe à gradibus throni Regij; aut Miniſtros Imperij *Co bia*, nempe à Regio Tribunali, in quo adſtant.

In Sinico eſt *Chu tai*,

Y *Chu tai* ſignificat Rectorē, ac Dominum, & nomine *celi* appellatur cœli dominus, ſicut per gradus Throni regij appellatur Imperator.

Z Confuſius honoratur, vt *Ma*giſter.

Quoad Confucium, quem pro Magiſtro venerantur, quem & Imperator donauit hoc ſuperbo titulo *Van xi Su-piao*, hoc eſt omnium generationum exemplar, & Magiſter, dico hunc his nominibus decorari, coliq; eò tantùm, quòd propoſitus ſit omnibus Litteratis tanquam exemplar, cuius doctrinæ, & exempla omnes excitent ad virtutem: neque tamen in eius cultu quicquam ab eo fælicitatis peti, vel ſperari.

AA A Confuſio nihil petitur aut ſperatur.

BB Parentes defuncti ſolum honorantur, vt ſtirpis origio, nec creduntur præſentes in Tabellis, nec vllam habere poteſtatem.

De progenitoribus demum addo, eos coli tantùm veluti ſtirpis originem, ac radicem, neque exiſtimari, illorum animas reſidere in Tabella lignea, & habere aliquam poteſtatem, filios, & Nepotes protegendi, ijſue in vlla re opitulandi. Idque ego infraſcriptus teſtor *Ceng* Benedictus Licentiatus ex Vrbe *Siam tam bien* Prouinciæ *hu-quam*.

Ego infraſcriptus teſtor, hoc Teſtimonium ex originali Sinico rite verſum, ac fideliter traductum eſſe. Ioachimus Bouvet Sacerdos è Societate Ieſu.

Ego infraſcriptus Vice-Prouincialis Soc. Ieſu Vice-Prouin-

ciæ Sinenſis teſtor, hoc exemplar originale tum Sinicum, tum latinæ verſionis, eſſe legitimum; in cuius fidem officij mei ſigillum hîc appoſui. Pekini 22. Octobris 1702.

Loc. ✝ Sigilli.

Antonius Thomas.

Ego Epiſcopus Macaenſis teſtor, hanc eſſe veram, & propriam copiam originalis, in cuius fidem Sigillum meum hîc appono, & ſubſcribo. Macai 20. Ianuarij an. 1703.

Loco ✝ Sigilli.

Ioannes de Cazal Epiſcopus Macaonenſis &c.

Ego Notarius Epiſcopalis fidem facio hanc ſupra teſtificationem eſſe propriam Illuſtriſſimi Domini Ioannis de Cazal Epiſcopi Macaenſis, in cuius fidem hîc ſubſcribo. Macai 22. Ianuarij an. 1703.

B. à Cunha.

TESTIMONIVM.

Vnius Litterati Chriſtiani *Zeng Kin To* ex Vrbe *Siang Tan*.

CC Confuſius honoratur ob ſuam doctrinam, qua illuſtrauit Chinam.

Ad ea, de quibus dignatus es me interrogare, ſcilicet quis eſſet ſenſus, ac finis rituum, quibus in noſtro Regno coluntur Confuſius, ac maiores defuncti, & fit Cœlo oblatio, ſic reſpondeo. In noſtro Regno colitur Confuſius; Cùm enim rite libros Carminum, faſtorum Imperialium, rituum, & Muſicæ explicauerit, ideo ſua doctrinâ omnem poſteritatem illuſtrauit. Coluntur maiores defuncti, quia ſicut fons aquæ, & radix arboris, ita illi conſiderantur eſſe noſtri corporis principium, hinc poſt mortem non poſſumus illorum obliuiſci. Fit Cœlo oblatio, quia ſicut nullus eſt homo, ſiue rudis, ſiue ſapiens, qui ſuam progenerationem non habeat à ſuis maioribus, ita etiam nullus eſt, qui primam originem non habeat à Cœlo: Idcirco ſolus Imperator ſacrificat Cœlo, volens correſpondere Cœli affectui, nec immemoreſſe ſuæ originis, ſeu Principij: reliqui inferiores reuerentur Cœlum, ſeruiunt Cœlo, obediunt Cœlo, imò, & clamant ad Cœlum, confitentur Cœlo, nec reperies, qui non iudicet, ſummam eſſe Cœli Maieſtatem, qua nulla detur ſuperior. Omnes libri antiqui Carminum, & faſtorum per nomem *XangTi*, ſeu ſupremi Domini oſtendunt, ſupra omnes Cœlos exiſtere *Ti* (ſeu Dominum, ac Rectorem) hoc eſt, haberi in Cœlo Dominum. Dum ſubinde illum vocant *Tien*, ſeu Cœlum, *Xang Ti*, ſeu ſupremum

DD *Maiores* defuncti honorantur ad conſeruandam originis memoriam, ex filiali affectu.

EE Dum dicitur coli cœlum, per cœlum intelligitur Domi-

mum Dominum, id faciunt eo, quod ille in excelso habitet, & nos infimos audiat; solummodo Cœlum est quid maximum, & in vno hoc verbo *Cœlum* etiam Dominus eius continetur: sicut nunc populi non audent apertè vocare Imperatorem, sed tropicè indigitant per locum, in quo degit, appellantes eum *aula Imperialis*, ita omnino de compellatione Cœli. Duo priores ritus (de cultu Progenitorum, & Confusij) vniuersim sunt id, vnde reuerentia expletur, animus tranquillatur, & rectæ rationi obsecundatur, nec vlla omnino est intentio aliquid petendi, aut sperandi auxilij. Atque hæc est nostri Regni Doctrina; sic paucis verbis non dubitaui respondere.

nus, qui est in cœlo.

FF

Per cœlum intelligitur dominus cœli, sicut per aulam Imperialem intelligitur Imperator.

GG

A progenitoribus defunctis, aut Confusio nihil petitur, aut speratur, & hæc est doctrina Regni Sinici.

Ciuitatis *Siang Tan Ceng Kin To* cum reuerentia hæc rescripsi. Loc. † Sigilli.

TESTIMONIVM.

Litterati *Cem Cao*. Sancto nomine Emanuelis in *Siam tan* Licentiati. † pro Sigillo.

Ad quæsita de ritibus, quibus Sinæ colunt Cœlum, Confucium, ac Progenitores, respondendum censui adductis rationibus, propter quas sic sentiendum putem.

Ac primò de cultu Cœli sic aio. Cœli colendi institutum, cępit primò à tempore Imperatoris *Xun*, perductumque est ad suam perfectionem sub familia Imperatorum, cui nomen *Cheu*. Constat porro ex libris Classicis antiqui Chronici, & odarum nomine, *Xu Kim*, *&* *Xi Kim* notis, hunc Cœli cultum ad Xam Ti, seu Imperatorem, ac Dominum supremum dirigi. Nempe in Cęlo sursum existit supremus Imperator, qui omnibus dominatur, omnia gubernat. Neque cum Sacrificijs Cœlum colitur, hæc ad Cœlum materiale vllo pacto referri existimandum. Pariter, cùm dicuntur omnia à Cęlo esse genita, hominis intelligentiam esse Cęli donum, atque adeo Cęlum esse colendum, hunc cultum ne censeas ad Cęlum materiale, sed ad ipsum *Xamti* pertinere; quod intellige non de Imperatoribus tantùm, sed etiam de cæteris. Sic enim *Mem Cu* (Confucij discipulus) *Ipsi etiam improbi Si ieiunent, aliaque id genus expiatoria opera obeant, possunt accedere ad Cultum Maiestatis Xam Ti.* Cæterùm cùm posteris sæculis minùs frequens factus sit vsus appellationis Xam ti, Cæli è contra frequentissimus, id maioris venerationis gratia factum puta, signum quippe est venerationis, ac reuerentiæ, supremam

HH

Per *Tien* cœlum intelligitur supremus cœli Gubernator.

II

Cúm Sacrificijs cœlum colitur, nullatenus hæc ad cœlum materiale referuntur.

Maiestatem non *Xam ti* proprio nomine, sed methaphorico Cęli nempe tantùm appellare.

KK
Confusius solùm honoratur ob suam doctrinam, & virtutem.

Deinde verò de ritibus, quibus prosequuntur Confucij cultum, dico eos his præcipuè fundamentis niti, quod nempe hic Vir præclarus longè antecesserit posteros doctrinâ, ac virtute, vnde ab vno è suis discipulis *Cu cum* sanctitatis, seu sapientiæ non vulgaris elogio fuit cohonestatus. Is etiamsi non celebrauerit per se Sacrificia ad *Xam ti* cultum destinata, vtpote solius Imperatoris propria; tamen ipsius exhortationes, ac documenta de reuerentia Cęlo debita, de sollicitudine, ac metu, ne suprema Maiestas offendatur, ac de cæteris virtutibus, fecerunt, vt spectetur tanquam, qui Cœli cultum maximè promouit. Hinc mei Patritij, quotiescumque canunt fidibus, nemo est, qui miris laudibus non efferat eius tum doctrinam, tum virtutem.

LL
Nihil à Confusio petitur.

Neque tamen, quæ in eius honorem eriguntur aulæ, Imagines, tabellæ, eò eriguntur, vt ab eo petantur diuitiæ, aut alia eiusmodi bona, cùm ipse Confucius docuerit, Cœlum esse bonorum omnium originem, vitæ, ac mortis solum auctorem, & seuerissimè animaduerterit in eos, quicumque petunt fælicitatem contra rectæ rationis præscriptum.

MM
Parentes defuncti solùm honorantur ex filiali affectu, nec ab illis quidquam petitur, nec creduntur præsentes in tabellis.

Denique de Progenitorum cultu idem Confucius valde fusè, ac singillatim egit, vbi ait v. g. eos coli, veluti adhuc in viuis essent, veluti in ipsa tabella residerent, veluti adstarent à dextris, aut à sinistris; Quæ cum ita sint, tempore verno, autumnalique refricatâ memoriâ progenitorum, quis inter Nepotes, aut filios possit à solitis affectus, & gratitudinis demonstrationibus abstinere. Cùm verò in tabellis scripta ipsorum nomina asseruant, eo fine tantùm id faciunt, ne annorum diuturnitate eorum memoria sibi excidat, non verò, vt ab illis petant opem, & patrocinium pro filijs, ac nepotibus: Cùm enim vel ipsi illitterati iactent, progenitorum suorum animas esse in Cœlo, rogentque, vt illæ cœlestem fælicitatem obtineant, qui fieri potest, vt litterati homines è contra existiment, progenitorum animas præsentes in his tabellis adesse. Hæc sunt, quæ super dictis ritibus dicenda censui, testorque subscripto nomine, me ita sentire. *Cem Cao* Emanuel Licentiatus ex Ciuitate *Siam tan* Prouinciæ *Hu-quam*.

✠ pro Sigillo.

Testor hoc testimonium fideliter traductum esse ex originali Sinico. Ioachimus Bouuet Sacerdos è Societate Iesu.

Ego

Ego infrascriptus Vice-Prouincialis Soc. Iesu Vice-Prouinciæ Sinensis testor, hoc exemplar originale tum Sinicum, tum Latinæ versionis, esse legitimum. In cuius fidem hîc officij mei sigillum apposui. Pekini 22. Octobris 1702.

Loc. † sigilli. Antonius Thomas.

Ego Episcopus Macaensis testor, hanc esse veram, & propriam copiam originalis; In cuius fidem sigillum meum hîc appono, & subscribo. Macai 20. Ianuar. an. 1703.

Loc. ✠ sigilli. Ioannes de Cazal Episc. Macaonensis &c.

Ego Notarius Episcopalis fidem facio, hanc suprà testificationem esse propriam Illustris. D. Ioannis de Cazal Episcopi Macaensis, in cuius fidem hîc subscribo. Macai 22. Ianuarij 1703.

B. à Cunha.

TESTIMONIVM.

Viri docti *Tan cum chin*, Sancto Baptimi nomine *y-na-tio* (Ignatij) in Oppido *yam Hien* Baccalaurei. ✠ pro sigillo.

Ego à puero examinaui veterum & recentiorum dicta. Ex tot hominum dissertationibus apparet, non esse, qui non ingemiscat, exoptansque non dicat, veteris *Cheu cum* ritus, seu consuetudines, verè esse ritus, & consuetudines. Iam verò interrogor de tribus articulis, an illi scilicet cum magna veterum doctrina conueniant? Certè honor, qui habetur Confusio, non fit vt petatur ab eo auxilium. Scitur nempe, Confusium coluisse *Cheu Cum* in ritibus, quemadmodum posteri coluere in ritibus Confusium. Ritus sanè illi non habent aliam causam. Quod autem spectat cultum, oblationesque erga maiores, quibus rebus obedientiæ ratio continetur, non hæc pertinent aliò, quàm ad exercendum animi suæ originis memoris, gratique sensum; nullo modo verò ad opem implorandam. Ab antiquo tempore ad nostram vsque ætatem filij obedientes vere autumnòque solent verrere, ac mundare tumulum! quem enim verò tumulum? non certè indifferentis hominis tumulum, sed parentis; eo nimirum consilio, vt filij nepotesque illum ignorare non possint; non alia est in hoc mens, sed ita est, vt assero. Quia verò Cœli, terræque cultus, ac ritus multam habent doctrinam, non audeat quis illos despicere. Is verò, qui illis sacrificat, procul dubio scit, existere aliquem Cœli, terræque *Dominum, ac Gubernatorem*, quem timeat, ac reuereatur, non secùs, ac qui inuisit hospitem, haud dubiè

NN A puero examinauit veterum, & recentiorum dicta.

OO A Confusio nihil petitur.

PP Progenitores defuncti solùm honorantur ex filiali obseruantia.

QQ Non fit honor defunctis ad eorum opê implorandam.

RR Per voces *Tien*, & *Cheu caj* intelligitur verè supremus aliquis Dominus.

In Sinico est *Cheu caj*.

biè scit esse, ac existere aliquem Dominum, honestumque virum, cui suos animi sensus exploratos esse velit. Neque verò satis est, si idem nouerit locum habitationis, hospitiumque existere. Non potest siquidem haberi verum de rebus iudicium, fidesque, nisi adsit solida, sinceraque inquisitio. Huc facit veterum Sapientum vox hæc: Ieiunium, abstinentiam, secessumque seruandum, mundandum, ac componendum corpus esse, priusquam quis possit sacrificare Supremo Domino. Quod certè pro indubitato habendum est. Ita rectè intentus respondi ✝

Hoc testimonium authoris nomine, & sigillo authenticum est conforme Sinico originali, ita testor qui verti.

I. Baptista Regis Soc. Iesu.

Ego infrascriptus Vice-Prouincialis Soc. Iesu Vice Prouinciæ Sinensis testor, hoc exemplar originale tum Sinicum, tum Latinum, esse legitimum. In cuius fidem officij mei sigillum hîc apposui Pekini 13. Octob. 1702.

Loc. ✝ Sigilli.

Antonius Thomas.

Ego Episcopus Macaensis testor, hanc esse veram, & propriam copiam originalis; in cuius fidem hîc subscribo, & appono sigillum meum. Macai 20. Ianuar. 1703.

Loc. ✝ sigilli. Ioannes de Cazal Episcopus Macaonensis &c.

Ego Notarius Episcopalis fidem facio de certitudine testificationis suprapositæ. Macai 22. Ianuar. an. 1703.

B. à Cunha.

TESTIMONIVM AVTHENTICVM.

Quatuor Litteratorum Christianorum ex *Siam tan*.

SS Multæ grassantur in Imperio Sinico diabolicæ artes.

TT Artes diabolicæ sût nefficaces contra Neophytos.

Ex quo gemina Bonziorum Secta, nominibus *Foe*, & *Tao* nota, cæperunt toto hoc nostro Sinarum Imperio latè grassari, visæ sunt quàm multæ, & multiplices diabolicæ artes, quibus Dæmon quotidie rudiori plebi illudit. E contra ex quo Diuina lex cæpit apud nos publicari, atque homines inducere ad seruiendum vero Cœli Domino, obseruatum semper est, pessimas illas dæmonum artes frustra esse adhibitas aduersus Dei Cultores. Cuius quidem selecta quædam, nobisque bene nota exempla libet hic in medium proferre.

Primum erit de pustulis, seu morbo infantum pene omnium proprio. Ante centum, & ampliùs annos inter Mon-

Montes territorij Vrbis *Hem - çheu fu* à Dæmone quodam pictæ sunt trium mulierum Imagines, expositæque hominum cultui sub nomine Spiritus *Xin Niam*, additâ spe obtinendæ curationis pustularum morbi, si ope sagorum, eam artem callentium, peteretur. Ex eo contigit, vt qui adorarent imaginem illius Spiritus triplicis, & rogarent Bonzios dictos *tao ssu*, vt recitarent formulam quamdam ad id destinatam; itaut ipsi met manè, & vespere coram dicta imagine solitos cultus religiosi ritus peragerent, polliciti se post morbum curatum concinnaturos Nauigium,& Currum papyraceum formâ Regiâ, vnà cum cæteris insignibus pompæ regiæ proprijs, & cum illo regio apparatu strepentibus tubis, ac tympanis processuros, vsque ad riui, seu lacus proximi ripam, deferentes, ac venerantes dictam imaginem, ibique illa omnia in eius honorem crematuros. Docuit longa experientia, eorum, qui hunc ritum obseruarent, neminem, aut ferè neminem non conualuisse à pustulis; Eorum verò, qui hanc cæremoniam riderent, aut fidem negarent, ex decem vix vnum conualere potuisse. Hinc factum est, vt in tota Regione Meridionali vltra flumen, quæ subiacet septem Vrbibus, omnes familiæ huic superstitioni omnino adhærerent, præter Christianas familias, quæ ab ea prorsus abhorrentes, & solum veri Dei auxilium implorantes, illud ita constanter expertæ sunt, vt è centum dicto morbo afflictis, centum Diuina ope adspirante salui fierent.

VV
Implorato Dei auxilio Neophyti cõualescunt à venenatis pustulis.

Secundum Exemplum esto de quodam Spiritu, seu Dæmone, dicto *Xan Siao*, qui solet diuexare eorum ædes, quas accedit, siue lapidum, pulueris, & arenæ proiectione, siue transuectione suppellectilis domesticæ, quam vulgò abscondit. Plerumque porro accidit, vt qui colunt hunc Spiritum, vt se liberent ab hac molestia, non id solùm obtineant; verùm etiam, vt ablata ab alijs ædibus aurum, argentum, annonam, fur in sui gratiam factus, ille Cacodæmon in suis sæpius congerat. E contra varijs alijs insuper molestijs affligit eos, qui eius potestatem non reuerentur, modò incendendo ipsorum domos; modò mactando morbo pestifero, quæ domi alunt, animalia; modò replendo ipsorum atria centenis, ac mille Serpentibus, modò miscendo ipsorum escam, & potum sordibus, alia denique eiusmodi multa comminiscendo. Vbi verò contingit, vt quis ab hoc Dæmone sic malè habitus, cogitet de Diuina lege suscipienda, & vt peccatorum pœnitens eorum sordibus Sacra baptismi lymphâ eluatur, illico malignus Spiritus recedit, nun-

XX
Liberantur Neophyti inuocato Dei nomine à dæmonis infestationibus.

nunquam in posterum rediturus. Testes huius rei profero familias duas Christianas ex mea Patria, seu Territorio meæ Vrbi subiecto, quæ eiusmodi molestijs vexatæ, vbi amplexæ sunt Sanctam Fidem, ab ijs prorsus liberatæ sunt. Vnius familiæ caput apud gentiles notum est sub nomine *Chin u pin*, apud Christianos verò sub hyacinthi nomine: Alterius familiæ caput sancto nomine Ignatius, profano verò vocatur *Chin sin ju*.

En tertium Exemplum. Est genus quoddam demonij, vbique notum, tum vulgari nomine, quo illud appellant, nempe *V-bien*; tum sexcentis, quibus nocere solet, artibus, maximè hominibus Prouinciæ Nankinensis: omnium eius artium pessima hæc est. Cùm in aliqua familia est puella speciosæ præ vulgo pulchritudinis, Dæmon ita ligat illius animi facultates omnes, vt videatur mortuæ similis. Vbi ex perrecta est, interrogantibus respondet, sibi somnianti Spiritum *V-bien* apparuisse, sibique desponsatum: eius porro Ædes Palatij Regij instar, suppellectilem, conuiuia, cæteraque omnia Regum more parata adesse, quoties voluptati indulgere volunt.

YY *Immundus dæmon per susceptionem Baptismi fugatur.*

At cùm contingit, eiusmodi familiam fieri Christianam, & baptizari, statim cessant illæ illusiones diabolicæ: Huius rei testis est quidam Christianus è mea Patria; qui ex quo suscepit Sanctam legem, rite coluit Supremum Dominum: Eius cognomen est *yam*.

Quartum Exemplum addo de altero spiritu, seu dæmone, nomine *Chen Sien*, qui exaratis quibusdam characteribus respondere solet consulentibus se, siue de præteritis, siue de futuris rebus. Eiusmodi responsa inter turbare, aut impedire solent Christiani, si adsint, inuocentque vel taciti, vel signo Sanctum Christi Iesu nomen, eiusque, aut Sanctissimę Matris opem contra diabolicas artes implorent. Cuius rei non alium, quàm me ipsum testem proferre opus est. Olim ego eram addictissimus huic arti peruersæ, quam sedulò didiceram, cui quadam die dum vacarem valde attentus, vnus è meis fratribus tunc Christianus, dictus Carolus, accito suo filiolo *Kiam*, Christiano nomine *Georgio*, baptizato ab vno mense tantùm, clàm iusserat, vt, si adhiberem eius ministerium pro substentanda tabella, in qua exarari solebant diabolici characteres, ipse tum temporis

ZZ *Incantationes Magicæ per signum S. Crucis impediuntur.*

signaret se signo Sanctæ Crucis. Quod cum fecisset me inscio, illico stylus, exarandis litteris destinatus, immotus stetit; Cuius rei causam ego tunc ignorans, institi per aliquot horas addere diuersas, inuocando dæmonem, tum scri-

pto,

pto, tum voce formulas, quæ omnes frustra fuerunt: neque toto illo tempore quicquam aliud consequi potui, quàm vt exararentur circiter millies hi duo characteres . . *Tien çù*; hoc est characteres Terrestres, seu Mundi huius; ea re commotus ad iracundiam, pessimas illas artes cæpi iterum atque iterum maiori cum applicatione repetere, tandem dæmon non valens diutiùs latere, & ampliùs resistere virtuti signi Sanctæ Crucis, quo puer interim illum vrgere non desistebat; manifestè se ipsum prodidit, scribendo maiori forma has duas litteras . . *quei çù*, hoc est *diabolici characteres* (ita absoluendo priorem duarum litterarum præcedentium *Tien*, vt ex ea confecta sit littera integra *quei*, quæ ipsum manifestauit) tunc enim cæpi intelligere sensum priorum litterarum *Tien çù* toties iteratarum, clarè cognoscens eas non à Cœlo, aut Cœli Domino, sed à maligno, & fallaci huius mundi principe Diabolo profectas. cùm Deus optimus eâ viâ me adduxerit ad Sacrum baptismum; Eius rei testem me profitendum censui.

Aliæ præterea sunt, nec paucæ fraudes diabolicæ, quibus multi homines, eiusmodi rebus addicti decipiunt plurimos, indeque se sustentant. His si qui fidem habere nolint, diuersa ab ijs mala patiuntur. Inter has fraudes reputandus est mos ille superstitiosus, quo plerique inuitant in suas ædes pro mortuorum exequijs Bonzios tam Sectæ *Foe*, quàm Sectæ, *Tao*: quos qui non aduocant, sæpe sic vexantur sacrificulorum diris machinationibus, vt etiamsi recondant defunctorum Cadauera in arcis, & feretris ex lignis solidissimis exactè compactis, ne minimâ rimulâ relictâ: ex ijs tamen profluat humor fætidissimus tantâ copiâ, vt aulas, & loca, vbi exponuntur, inundent, & graui odore sic inficiant, vt nemo id ferre queat.

Memini, & alterius fraudis, exequiarum propriæ. Est hic quoddam Vespillonum genus, quorum qui operam non adhibent ad efferendos suos defunctos, arte quadam diabolica, dicta *Cien So chi fa*, sic ab illis petuntur; vt inter efferendum funus, chordæ, quibus è baiulorum humeris pendet feretrum, rumpantur, modò ex hac, modo ex illa parte, & ita cæremoniam funebrem interturbant.

Siquidem nos Christiani omnes non aduocamus horum Vespillonum, ac Bonziorum Ministerium in sepeliendis, & in humandis mortuis, ab ijs pro inimicis habemur: illi verò haud dubiè vindictæ gratia totam artis suæ vim adhibent

bent,vt nobis noceant; neque tamen hactenus auditum eſt, eos potuiſſe Chriſtianis nocere.

Inutilitas porro, ſeu inefficacia artium illarum diabolicarum, de quibus ſupra, tribui non poteſt virtuti vlli humanæ, ſed tantummodo fidei, qua Chriſtiani credentes confidunt in vnica ope vnius, ac Omnipotentis Dei. Iam verò, cùm certum ſit Peccatorum preces à Deo non exaudiri, eorum maximè, qui primum, ac præcipuum Sanctæ legis mandatum violare ſolent: ſi verum eſt, nos homines Chriſtianos, Patrum Societatis Ieſu miniſterio baptizatos, dum ritibus patrijs colimus Confucium, ac defunctos, precibus illos, aut alijs ſuperſtitioſis ritibus proſequi, maniſeſtè violamus primum Sacræ legis mandatum, quod quis æquus, ac prudens de nobis adduci poterit, vt credat, cùm audiet nos huc vſque tantam expertos contra diabolicas artes Diuini Numinis protectionem? Hinc colligi poteſt, noſtros colendi Confucium, & progenitores ritus nullam habere admixtam ſuperſtitionem; atque illos Patres, à quibus Sanctam doctrinam edocti ſumus, rite exploratos habere noſtros ritus, ac de illis verè omnino ſcripſiſſe. Quod vt magis conſtet, illud hoc meo teſtimonio confirmandum duxi. Ego infraſcriptus *Lieu Xeu lin* Benedictus, ex primo Baccalaureorum ordine Scholæ Vrbis *Siam tan bien*.

AAA
Non coliturConfuſius precibus, vel alijs ſuperſtitionibus.

BBB
Miſſionarij Patres Societatis rite exploratos habent ritus Sinicos, & verè de illis ſcripſerunt.

Eidem teſtimonio ſubſcripta iacent tria aliorum litteratorum teſtimonia gradu *Kien ſem* inſignitorum ex eadem Vrbe *Siam tan*, nempe

Carolus *lieu Xeu y*
Petrus *lieu Pin*
Alexius *li Piao çum*

Ego infraſcriptus teſtor, hanc verſionem eſſe conformem cum originali Sinico. I. Bouuet S.I.

Ego infraſcriptus Vice-Prouincialis Societatis Ieſu Vice-Prouinciæ Sinenſis teſtor, hoc exemplar originale tum Sinicum, tum Latinæ verſionis, eſſe legitimum, in cuius fidem ſigillum mei Officij hîc appoſui. Pekini 2. Octobris 1702.

Loc. † ſigilli. Antonius Thomas.

Ego Epiſcopus Macaenſis teſtor, hanc eſſe veram copiam originalis, in cuius fidem hîc appono ſigillum meum, & ſubſcribo Macai 20. Iannuarij an. 1703.

Ioannes de Cazal Epiſcopus Macaenſis.

Loc. † ſigilli.

Ego Notarius Epiſcopalis fidem facio, hanc ſupra teſtificationem

nem esse propriam Illustrissimi Domini Episcopi Macaensis Domini Ioannis de Cazal, in cuius fidem hic subscribo. Macai 22. Ianuarij an. 1703:

B. à Cunha.

Viginti Litteratorum Sinarum commune, & authenticum responsum circa Cœli, Cumfusij, ac maiorum cultum.

Num. 7. Testimonia gentilium.

Ex Prouincia *Hou quam* Pekinum missum.

Iuxta librorum Classicorum, & monumentorum aliorum seriem, postquam mundus esse cæpit, & ex quo à Sinico Imperio sterilitas, atque eluuio depulsæ sunt, tunc non interrupto generationum filo, semper Imperatores, Reges, Magistratus, Virique Sapientes omnino eximij è medio emersêre. Illi instituêre ritus, illosque in libros retulêre, qui proinde in Imperio primas tenent. Id genus fuêre Principes *Foby*, *Xin num*, *Hoam Ti*, Yao, *Xun*, *Tam*, Vu. Id genus quoque fuêre Magnates *yu*, *Tçie*, *Sie*, *Cao - yao*, *Peje*, *y yn*, *Ven vam*, *Cheoukum*, qui homines auxilio fuerunt ad doctrinam exornandam, & illius ætatis Imperium ad florentem statum adducendum. Illo certè tempore solùm sciebatur colendum Cœlum, obseruandos parentes, excolendam esse virtutibus propriam personam. Nondum auditum tunc erat de illis hominibus, mulieribusque, malis artibus deditis, quæ à malis Spiritibus aliquid peterent. Ita in libro canonico *Xu Kim* sacrificare *Tien*, *Calo*, idem est ac Sacrificare Supremo Domino *Xam ti*. Item *Xam ti* Supremum Dominum aduenire, non habere secundum, nec parem, idem est ac colendum Cælum. Ita liber Canonicus *Xi Kim*, cùm ait Supremus Dominus demittit se cum summa claritate, introspecturus quatuor Mundi plagas, vult, vt populus intelligat esse Cælum, quod omnia introspiciat, nec possit errare. Propterea Imperator bis singulis annis Cælo sacrificat, quod nempe existat supra *vnus Dominus*, *ac Gubernator* summè iustus, summequè intelligens. Hinc existit illa communis vox populi, Cælum digito demonstrantis, & aientis: hoc est verè iustum; hoc habet naturam rerum memorem, nec tamen præcipitem; qua voce significat existere aliquem iustum, ac scientem; non verò illud solum Cælum, quod absolutâ vnius dici reuolutione, iterum reuoluitur. Illum verò pauci appellant *Xam Ti* Supremum Imperatorem, mul-

A Antiquis temporibus in China solùm sciebatur colendum esse Cœlum, obseruandos parentes, & excolendam virtutibus propriam personam.

B Sacrificare Cœlo idem est, ac sacrificare Supremo Domino.

In Sinico est *Chu taj*.

C Cœlum omnia introspicit, nec potest errare.

D Voces *Chu taj* indicant Dominum, & Gubernatorem summe intelligentem.

E
Supremus Dominus maioris reuerentiæ causa vocatur *Tien* Cœlum.

multi appellant *Tien* Cælum; quod verè fit maioris reuerentiæ causâ erga Supremum Dominum *Xam Ti*. v.g. ita: aduenit aliquis Doctor ex Europa; habet, ille Regni, proprij nomen, cognomen, propriumque nomen, nihilomĩnus honoris causâ appellatur à nobis nomine generali, & honorifico (ad verbum apellamus *Sy-yam Sien-sem*). Si alijs nominibus vteremur, agrestes homines haberemur. Non secùs est, quando aliquis, dum aliquò it, scribit litteras alicui, hunc honorificè apellat *Co Hia*. Ego subpedibus &c.. seqne infra deprimit, sin minùs, stolidus prorsus est. Iam verò nostri Imperij volumina classica non semper adhibent has voces *Supremus Dominus Xam Ti*, sed aiunt Cælum honorandum *Kim Tien*, vt inde intelligatur, honorandum esse Supremum Dominum *Kim XamTi*. Nonne ob eam rationem libri classici sæpe vtuntur appellatione Supremi Domini *Xam Ti*, nos ideo cogitamus solam vocem *Tien* aptiorem esse ad honorem erga Cæli Dominum exhibendum, quàm has duas *Tien chu*, quas vestra illustris religio vsurpat. Quemadmodum solemus Imperatorem appellare *Chao-tim*, aut *Pi Hia* (idest) Supremam Palatij aulam, aut infra eius Throni gradus. Palatij aula certè est Imperatoris aula. Throni gradus profectò sunt Imperatoris Throni gradus. Quòd tamen, & Supremam palatij aulam, & Throni gradus subeat, obtineatque Imperator, his nominibus vtuntur ad maximam venerationem, atque obseruantiam. Si quis verò Imperatorem nomine proprio vocet (ad verbum si illum vocat *Kam Hi*), ille grauiter in illum peccat. Iam quod vestra nobilis Religio appellet *Tien chu* Cęli Dominum, inde profluxit illa appellatio, ex clara nimirùm notitia, quam habet de Cęli Domino suprà existente. At nonne idem est, ac si quis sciens Imperatorem esse in Palatio, illum non aulæ, sed proprio nomine designaret illum *Kam Hi* appellaret X? In nostro hoc Regno id moris est, vt si quis Litteratus alteri infestus sit, se ad illius ædes conferat, illumque ad se proprio nomine vocet. Qui agendi modus non est honorantis alium. Nonne simile quid timendum est in hac appellatione *Tien chu* à vestra nobili Religione vsurpata? Cumfusius certè ait. *Sapiens reueretur Cęli mandatum, ac voluntatem, Stolidus cum nesciat esse Cęli mandatum, ac voluntatem, non reueretur*. Liber quoque Canonicus *Xi Kim* ait: re verere Cæli Majestatem. Sinicum itaque Imperium, dum ait: *Kim Tien* honora Cęlum, non aliud intelligit.

F
Per litteras *King Tien* intelligitur, honorandum esse Supremũ Dominũ.

G
Per *Tien* Cœlum idem intelligitur, quod Christiani intelligunt per *Tien Chu*.

H
Supremus Dominus reuerentię ergò appellatur *Tien* Cęlum, sicut Imperator reuerentiæ causa appellatur *Chao Ting aula regia*.

I
Sinicum Imperiũ, dũ audit *King Tien* non aliud intelligit, quam honorare Cęli Dominum.

Quod autem pertinet ad præteritos, defunctosque Reges, Parentes, Magistros, Fratres, quibus parentari solet;

K
Parentes defuncti solùm honorantur

Cum-

Cumfusius ait: seruiendum mortuis, quasi existentibus. Liber quoque *Lun yu* dicit: offerebat illis perinde, ac si aderant. Idcirco debemus præferre verum animum imitandi, & obseruandi parentes, vtpote corporis nostri originem. Ex illis siquidem quinque partes corporis centumquè ossa (omniaque ossa) sumpta sunt. Qui ideo scit, suum sanguinem è parentum venis ad se transfluxisse, is profectò parentes, dum viuunt, debet alere; dum moriuntur, sepelire. Insuperque cuiusuis anni duodecima luna illis offerre. Quod certè non fit, quia parentes auent edere, sed quia Nepos debet erga eos eas animi sui vires insumere, quas erga illos, dum viuerent, olim insumebat. Idem quoque non fit ad auxilium à parentibus petendum. Præterea erigitur lignea tabella; In illa mortui nomina inscribuntur; Illa domi reconditur. Quæ tabella si non adsit, iam nulla est res, in qua Parentes suos honorare filius possit; & si nomina tabella hæc non habeat, post longam annorum seriem non poterunt posteri cognoscere, quos progenitores habuerint. Iam audiuimus, Vestri Regni Reges, Magnates, magnique nominis homines habere insculptas, pictasque imagines ad posterorum memoriam; Si id fit alienis hominibus, quid ni proprijs parentibus? quod si vos suspicamini, parentum nostrorum animas tabellis hisce nostris ligneis insidere, quid ni de animabus vestrorum Regum, Magnorumque Virorum, picturas hasce vestras obsidentibus, non suspicamini? nihil certè tale nos de vestris picturis suspicamur, quid esset quod vestrum Regnum de nostris tabellis suspicaretur? audiuimus etiam, nobilem hanc vestram religionem præcipere suis obseruantiam suos erga parentes. At si illis obediendum est dum viuunt, illis profectò etiam obediendum est postquam vixerunt.

ex filiali affectu ob beneficium generationis, quasi si adhuc viuerent.

L
Non fit oblatio parentibus, quia illi volũt edere oblata.

M
Non fit oblatio ad petendum auxiliũ à parentibus.

N
Tabellæ, in quibus parentum nomina scribuntur, fiunt ad conseruandam eorũ memoriam, & vt in illis honorẽtur parentes.

O
Fit comparatio cũ picturis, quæ in Europa habentur.

P
Animæ defunctorũ non creduntur insidere his ligneis tabellis.

Deuenimus ad Confusium. Ille est, qui transmisit ad nos veterum sapientum doctrinam, nec tamen assequi potuit, vt eamdem alij viam incederent. Nec vulgaris hominis ornatum cum primorum Magistratuum veste vnquã commutauit. (ad verbum; tota vita sua semper induit vestem è tela) Ille concinnauit librum canonicum *Xi Kim*. Ille clarè præscripsit ritus, ac regiminis leges, quibus hominum cor corroboretur. Ille illustrauit explicatum, à *Cheu Kum* librum canonicum *Te-Kim*, ibique Cæli vniuersam rationem clarè exposuit; Digessit librum canonicum *Chun-Cieù*, illoque terruit Magistratus turbulentos, & expilatores. Paucis, quæ verba, factaque edidit, non minùs hic illustria sunt, quàm Sol, Lunaque in splendido

Q
Gesta, & doctrina Confusij.

Cçlo. Nec tamen ille vnquam ſe multi æſtimauit, nec pro magno viro haberi ſe voluit. Cùm agit de Magiſtratuum officio, ait, ne dicas aliquid, vnde alij conqueri poſſint, neque facias aliquid, vnde alij dolere poſſint; In hoc ſitæ ſunt veri Magiſtratus opes. Dicit inſuper, ne contra Cçlum obmurmures, ne deſpicias vllum hominum. Qui enim in inferiori poſitus eſt gradu, ſuperiorem attingere poteſt. Ait quoque: Mors, & vita, honores, & opes pendent à Cçlo. Ille iubet homines doctrinam diſcere, aitque eſſe in res ipſas penetrandum, ea ratione perueniri ad ſummam rerum cognitionem. Inde fixam haberi de rebus ſententiam; ex hac extare cordis rectitudinem; hinc verò enaſci propriæ cuiuſque perſonæ reformationem; priuatæ cuiuſque domus ordinem; Regni cuiuslibet bonum regimen, totiuſque Orbis, ſeu Imperij tranquillitatem. Ideo per omnes ætates Imperatorum, Regumque Magiſter habitus eſt Cumfuſius. Qui illum colunt, celebrant illius doctrinam, æſtimant virtutem, nihil verò ab illo petunt. Audiuimus & nos, in veſtris Regnis vixiſſe olim Litteratos, quos poſteri venerantur. Cogitamus nos illorum virtutem, & doctrinam, venerationi eſſe, nec ab illis præmia, pænaſque expectari. Quid igitur de Sinico Imperio Confuſium colente ſuſpicamini? Cumfuſio nihil eſt cum *Secta fœ*, & id genus Spiritibus. *Fœ* ait: ſi homo bonus, credula Mulier inuocet meum nomen, *Si petat claram intelligentiam, obtinebit claram intelligentiam*; *Si petat filios, filios quoque obtinebit*. *Vani nimirum hominis verba vana*. Cumfuſius è contra ſemper edocens homines ait: *Quiſquis peccauit in Cçlum, non habet alium, quem inuocet*. Præterea in noſtro Regno, etiam ſi ſint, qui rogent *Fœ*, ſeruiantque id genus Spiritibus, nunquam tamen Cumfuſij auxilium imploratum eſt. Fortè, quandoquidem veſtrum Regnum, à noſtro valde diſſitum, & verba, Styluſque cum noſtro non conueniunt; hinc eſt, quod de noſtris rebus audiendo erraſtis, & falsò ſuſpicati eſtis. Generatim loquendo, Sinicum hoc noſtrum Imperium eſt ſcientiæ, rectæque inſtitutionis Regnum, cui Auſtrales partes comparari nullo modo poſſunt. Dolendum certè, quod Secta *Fœ* omnia permiſceat, at illa Nauibus ad nos peruenit ex Occidentali Regno dicto *Tien cho*, non verò in Sinico Imperio nata eſt.

R

Confuſius colitur ob ſuam doctrinam, & virtutem, & nihil ab eo petitur.

S

Honoratur Confuſius, ſicut in Europa honorantur aliqui antiqui Philoſophi, & nec prœmia, nec pœna ab illo expectantur.

T

Confuſius nihil habet commune cũ ſecta *Fœ*, & id genus ſpiritibus.

V

Nũnquam Confuſij auxilium imploratum eſt.

X

Errarunt, & falsò ſuſpicati ſunt de rebus Sinicis Europçi.

Y

Secta *Fœ* non eſt nata in Imperio Sinico.

Nunc verò Doctor Europæus exquirit à nobis rituum noſtrorum ſenſum, equidem timemus, ne feſtinata explicatione, ac reſponſione contra illum peccare, illique moleſti eſſe videamur; quod tamen in hac Prouincia *Hou-*

quam

quam ſcriptum, ac reſponſum, continet veram doctrinam, veraſque res, Verba Cumfuſij in medio ſcripto ad fidem faciendam inſerta omnino conueniunt cum hominum ſenſu. Ita plerique omnes ratiocinantur, nec dubium vllum eſt.

Z Scriptum hoc verā Sinarum doctrinam continet, & ita plerique omnes ſine dubio ratiocinantur.

Loco ſigilli fit in hac verſione. ✠

Dn̄us *Cem Xi Cum* ex oppido *Siam Tan* licentiatus (*Kiugin*) proximè euehendus ad præfecturam oppidi (Hien ✠

Dn̄s *Cham Can* ex oppido *Siam Tan* licentiatus proximè euehendus ad præfecturam oppidi ✠

Dn̄s *Cham-ven-Pim* ex oppido *Siam Tan* licentiatus, proximè euehendus ad præfecturam oppidi ✠

Dn̄s *Lung-Ki-Tien* in prouincia *Houquam*, ſub Ciuitate *Cham Xa Fu* ex oppido *Teu Hien* Licentiatus, nunc in Ciuitate *Han-yam fu* ſtudiorum, *Hio quon*, ſeu præfectus, baccalaureorum ✠

Dn̄s *Su-ta-yum* in prouincia *Hou-quam*, ſub Ciuitate *Hoam Cheou fu*, ex oppido *Hoam po Hien* baccalaureatum ſupergreſſus, nunc in eadem prouincia ſub Ciuitate *Cham Xa fu* in oppido *Siam tan* ſtudiorum præfectus ✠

Veriuſque nudū eſt nomen ſine ſigillo.

Dn̄s *Cem-to* in Ciuitate *Cham-Xa fou* primi ordinis Baccalaureus)

Dn̄s *Cheou-y* ex oppido *Siam tan* baccalaureus, proximè ad ſuperiorem gradum euehendus)

Dn̄s *Cham-Can* ex oppido *Siam tan* baccalaureus ✠

Dn̄s *Cham-fuen* ex oppido *Siam tan* baccalaureus ✠

Dn̄s *Cham-yuen* ex oppido *Siam-tan* baccalaureus ✠

Dn̄s *Cham-Xi-Hiun* in prouincia *Hou-quam* ſub Ciuitate *Kim Cheou fu* ex oppido *Hiam lim Hien* licentiatus, nunc in eadem prouincia ſub metropoli *Vu Cham fu* in oppido *Kia yu Hien* ſtudiorum Præfectus primus ✠

Dn̄s *Ngeou-yam-To* in prouincia *Hou-quam*, ſub Ciuitate *Han-yam-fu* ex oppido *Han-Chouen-Hien* baccalaureatum ſupergreſſus, nunc in eadem prouincia ſub metropoli *Vu Cham fu* in oppido *Kia-yu-Hien* ſtudiorum præfectus alter ✠

Dn̄s *Lung-Ki-Tien* in prouincia *Hu-quang* in Vrbe *Chang Xa* licentiatus, primus litterarum præfectus in Ciuitate *Han yang* ✠

Dn̄s *Te-Xi-Iung* in prouincia *Hou-quam*, ſub Ciuitate *Hoam Cheou-fu* in oppido *Hoam-ngan Hien* baccalaureatum ſupergreſſus, nunc in Ciuitate *Han-yam fu* ſtuſtiorum præfectus ✠

Dn̄s *V-fum* ex oppido *Kia-yu-Hien* baccalaureus ✠

Dñs *Chao-chou-chi* ex oppido *Kia-yu Hien* baccalaureus ✠
Dñs *Tem-Chao-Sien* ex oppido *Kiayu Hien* baccalaureus ✠
Dñs *Yu Cum Hien* ex oppido *Kia yu* baccalaureus ✠
Dñs *Ou-Tim Siam* ex oppido *Kia-yu-Hien* baccalaureus ✠
Dñs *Ou-Tim-yam* ex oppido *Kia-yu* baccalaureus ✠

Cum Doctor *Tam* (P.Bajard)rescire voluerit sensum rituum, quibus Sinicum imperium colit Cumfusium, & parentat suis maioribus, ego (infra bis scriptus) ista exaraui summatim, & quædam Confusij verba inter serui *Cem-tao-Cum* sub metropoli *Vu-cham fu* ex oppido *Kiam-Hia-Hien* ✠

Iterum. *Cem tao Cum* sub metropoli *Vu cham fu* in oppido *Kiam-Hia-Hien* ✠

Ego infrascriptus testor, me responsum hoc ex originali Sinico vertisse, textusque sensum latinè expressisse. I. Bap. Regis Soc. Iesu Sacerdos ann. 1702. Aug. 24. PeKini.

Ego infrascriptus ViceProuincialis Soc. Iesu ViceProuinciæ Sinensis testor, hoc exemplar originale tum sinicum, tum latinæ versionis esse legitimum; in cuius fidem Officij mei sigillum hîc apposui. PeKini 2. Octobris 1702.

Loc. † sigilli.

Antonius Thomas.

Ego Episcopus Macaensis testor, hanc esse propriam copiam originalis, in cuius fidem sigillum meum hîc apposui: Macai 20. Ianuarij 1703.

Loc. † sigilli.
Ioannes de Cazal Episcopus Macaonensis.

Ego Notarius Episcopalis fidem facio, hanc supra testificationem esse propriam Illustrissimi Domini Ioannis deCazal Episcopi Macaensis, in cuius fidem hîc subscribo. Macai 22. Ianuar. an. 1703.

B. a Cunha.

AA
Qui cœlum colunt, colunt eum, qui est rerũ omnium principium.

BB
Confusius honoratur, vt hominum Magister.

Testimonium vnius Litterati ex *Siang Tan* Ciuitate.

Qui Cælum colunt, colunt eum, à quo Cælum, Terra, & res omnes suum habuerunt principium; Colere Confusium, est reuereri eum vt hominum Magistrum; colere maiores defunctos, est reuereri eos, ex quibus filij, ac nepotes orti sunt.

sunt. Sed in vnoquoque istorum cultuum habetur differentia. In cultu Cæli habetur gratiarum actio, habetur postulatio, seu oratio, in cultu autem Magistri, seu Magistrorum, & Maiorum, non habetur oratio, nec petitio: in vestro libello intimè conuenitis cum rituum sinensium sensu. Quin etiam in ipso Cæli cultu in nostro Imperio multò rariùs est intentio deprecandi *Xang Ti*, seu Supremum Dominum. Nunc habetis Regium decretum, Regis verba omni particulari affectu carent: oportet illa cum reuerentia suscipere, ac obseruare, nec potest esse dubitationi, aut disputationi locus.

Prouinciæ *Huquang* Ciuitatis *Siang Tan*
Lieu Xeu ye sic sentit.

Testimonium quatuor Litteratorum
Ciuitatis *Siang Tan*.

Nostrum Imperium, à tempore Imperatoris *Fo Hi* vsque nunc per quatuor annorum millia, & ampliùs, semper nouit colere Cælum, reuereri Magistros, amare Maiores; Si quis fortè Cælum contemnat, Magistros spernat, Maioribus sit inobediens, habentur Regni leges ad eum puniendum, nec vicini talem tolerant: idcirco in singulis domibus habentur tabellæ, quibus hæ litteræ inscriptæ sunt, Cælum, Terra, Rex, Parentes, Magistri: id quod appellatur Cælum & terra, idem est, ac *Xang Tj* Supremus Dominus. Item dum alij ponunt, Cæli, Terræ, trium regionum, decem plagarum, omnium entium intellectualium verus Dominus, idem dicit, quod dicit hæc littera *Tien* Cælum. Magistri verò coluntur ad implendum Officium discipulorum, & maiores amantur, vt satisfiat syncero filiorum, & nepotum affectui. In his nihil petitur, nihil etiam speratur. In vestro libello rectè assecuti estis veritatem consuetudinum Sinici Imperij.

Prouinciæ *Huquang* Ciuitatis *Siang Tan*.

Lieu Xo.
Hj Cung
Ven I
Cheu yung
Sic sentiunt.

CC
Maiores defuncti honorantur, quia ex ijs filij, ac nepotes sunt orti.

DD
In cultu cœli habetur deprecatio, in cultu Magistri, & maiorum non habetur.

EE
Libellus supplex Patrum PeKinensium Intimè conuenit cum rituum sinensium sensu.

FF
Iam etiam habetur regium decretum.

GG
Verba decreti regij non relinquunt dubitationi, aut dispu tationi locum.

HH
Qui cœlum contemnit, Magistros spernit, & maioribus est inobediens regni legibus puniendus est.

II
Quod appellatur apud Sinas *cælum, & terra*, idem est ac *Xang Ti* supremus Imperator.

KK
Magistri honorantur, vt impleatur officium discipulorum, & maiores amantur ex affectu filiali.

LL
Nihil petitur, nihil speratur in his ritibus.

MM
Libellus supplex Patrum PeKinensium verè exponit consuetudines sinici Imperij.

Tertium Teſtimonium duorum Litteratorum Ciuitatis *Siang Tan*.

NN

Ritus externi aſſumuntur ad prodendum interiorem affectum.

OO

Parentes defuncti honorantur ex affectu filiali.

PP

Confuſius colitur vt Magiſter ob bonam doctrinam, quam tradidit.

QQ

Non curatur an Confuſius cognoſcat affectum honorantis.

RR

Nec ad Confuſium fit deprecatio.

SS

Nō creduntur animæ Cōfuſij, & progenitorum reſidere in tabellis.

TT

Variæ reuerentiæ, quę fiunt defunctis, fiunt etiam viuis.

VV

Rituum horū ſenſus per ſe patet, nec eget vlteriori diſcuſſione.

Nemo eſt, qui affectu careat; hic affectus eſt intus, foris non ſpectatur; idcirco aſſumuntur externi ritus ad eum prodendum. Maiores, ac parentes ſunt noſtri corporis & vitæ generatiuum principium, ſi poſt illorum mortem ſtatim relinquantur, & oblitterentur, tali certè modo erimus omni affectu vacui, & poſteri quomodo poterunt dici homines affectum habentes? Confuſius etiam tantummodo colitur, quia ipſe libros compoſuit, doctrinam tradidit, hominesque docuit, reuereri Cælum, debitum humanæ conditionis ordinem adimplere, honeſtatem cordis conſeruare, hominis partes rectè implere, ideoque eſt noſter Magiſter; hinc etiam cordis affectus eſt, qui non poteſt eius obliuiſci. Atque hoc eſt, quod dicitur, explere noſtrum animum, non curando, vtrum ipſe eum cognoſcat nec ne; nec vlla omnino eſt deprecatio, aut poſtulatio, vt demittantur bona, vel mala auertantur, ſicut fit, dum colitur rerum conditor Dominus, qui præmiat bonos, & malos caſtigat: Nec creditur anima Confuſij, ac maiorum defunctorum in tabella illa lignea reſidere. Si fors ſuſpiceris, fieri deprecationes, ac petitiones, ex eo, quod fiant illi cultus, reuerentiæ,& inclinationes; nonne & omnes amici, ac fratres, dum ſe mutuò inuiſunt, cum animi demiſſione inuicem faciunt inclinationes, reuerentias, & genuflexiones; an fortè & illos rogant, vt ſibi demittant bona,& auertant mala? Iſta non eſt neceſse profundiùs diſcutere, cùm per ſe pateant, eorum ordo eſt clariſſimus, Quia tamen mores, & Conſuetudines Sinenſium, & Europæorum non ſunt adeò inter ſe ſimiles, ideo hanc claram explicationem rurſum afferre non dubitauimus.

Prouinciæ *Huquang* Ciuitatis *Siang Tan*, *Lieu Xo*, & *Hu-co* ita ſentiunt.

Quartum Teſtimonium alterius Litterati ex Ciuitate *Siang Tan*.

XX

Poſt Imperatoris de his ritibus declarationem non ſupereſt dubitandi locus.

Iſta tria ſuperiora puncta ita accuratè ſunt explicata, vt nihil habeam, quod reſpondendo addam: & quod magìs eſt, noſtri Imperatoris perſpicacitas, ac intelligentia, ex qua ritus, ac leges emanant, eſt ſanè maxima: eius verba paucis

paucis ista clarissimè explicant, & omni tempore reuerenter seruanda sunt, quid ergo vlteriùs dubitatur.

YY
Verba Imperatoris clarissimè illos ritus explicant.

Prouinciæ *Huquang* Ciuitatis *Siang Tan*, *Xe Ping* ita sentit.

Quintum Testimonium duorum Litteratorum ex Ciuitate *Cha Lim* Prouinciæ *Huquang*.

Omnes rerum intelligentes, discurrentes de rebus, sumunt id, quod est vniuersale, non verò id, quod priuatum est, sumunt id, quod plurimis, non quod vix vllis cohæret. Illa tria puncta in vestro libello possunt dici esse vna plurimarum linguarum vox, quodque plus est, Imperatoris verba sunt tam clara, vt Sol, ac Stellæ; quid ampliùs requiritur?

ZZ
In rerum expositione attendendum est ad id quod vniuersale est, & non ad id, quod vix vllis cohæret.

AAA
Declaratio Imperatoria horum rituum est tam clara, vt nihil vlterius requiri possit.

Prouinciæ *Huquang* Vrbis *Cha Lim*, *Zeng Ting*, & *Ting Chang* ita sentiunt.

Sextum Testimonium vnius Litterati ex Ciuitate *Siang Tan* Prouinciæ *Huquang*.

Dum legitur: *Cæli lex dicitur natura*, per Cælum intelligitur hominum, & omnium rerum primum, ac supremum principium. Dum legitur: *Homines suam trahunt originem ab Auis*, intelligitur, Auos, & Parentes esse, à quibus nostrum corpus progenitum fuit: Dum legitur: *Directio viæ dicuntur rectè viuendi præcepta*, intelligitur vir sapiens, qui obsequitur Cælo, vt instruat homines. Id circo qui non colit Cælum, qui non colit Patrem, & Matrem, nec colit Magistros, & natu maiores, neutiquam potest dici homo. Sed quamuis ritus inclinationum, & genuflexionum videantur esse ijdem, mens tamen, & animus est omnino diuersus. Dum colitur Cælum, habetur timoris, & tremoris animus; dum coluntur progenitores, vel Confusius, est solummodo mutuum inter homines amorem explendi intentio, & nihil aliud, nec aliud quidquam prætenditur, aut speratur.

BBB
Per cœlum intelligitur hominum, & omnium rerum primum ac supremum principium.

CCC
Diuersa est intentio in cultu cœli, & in honorandis defunctis.

DDD
Dum honorantur progenitores, & Cófusius, est solùm intentio, mutuum inter homines amoré explendi.

EEE
Nihil petitur, aut speratur à Confusio, vel à Progenitoribus defunctis.

Prouinciæ *Huquang* Ciuitatis *Siang Tan*, *Tang yang yuen* ita sentit.

Septimum Testimonium vnius Litterati ex Ciuitate *Siang Tang* Prouinciæ *Huquang*.

In nostro Imperio ritus, quibus colitur Cælum, quibus item coluntur Magistri, & natu maiores, ac Progenitores nostri, multis ab hinc annorum millibus sunt instituti à sapientissimis Imperatoribus, & prudentissimis Regibus. Vniuerso in Mundo idem vbique est hominum animus, cumque animus sit idem, nec ratio potest esse mutabilis. Verùm quamuis in istis genuflexionum, & inclinationum ritibus non sit admodum magna diuersitas, animus tamen, quo exhibentur tales ritus, est omnino diuersus: *Colere Cælum*, non dicit istud cæruleum, aut visibile Cælum, sed dicit primam originem, rerum omnium effectricem, & vnde bona omnia, ac mala procedunt; de quo liber fastorum Imperialium *Xu King* ait; bene agentibus bene facit, malè agentibus pœnas immittit; vnde animus, quo colitur, & reuerentia illi exhibetur, est ad petendum, vt bona demittat, & mala auertat. Quod verò ad Confusij, & maiorum defunctorum cultum attinet. Confusius Doctrinæ præcepta posteris tradidit, & dicitur Magistrorum exemplar: Progenitores defuncti sunt ij, ex quibus nostrum corpus viuens ortum habet: animus, quo illi coluntur, non est alius, nisi, vt demonstretur noster affectus, qui non potest illorum obliuisci, nec id fit, vt aliquid ab illis speretur.

FFF Intentio in cultu cœli, & in honore, qui fit defunctis, est omnino diuersa.

GGG Per cœlum colitur prima origo rerum omnium, quæ præmiat bonos, & castigat malos, & colitur, vt petantur ab illo bona, & auertantur mala.

HHH Confusius solum colitur vt Magister.

III Maiores defuncti honorantur, vt autores generationis ex grato animo.

KKK Non coluntur Confusius, vel progenitores, vt aliquid ab ijs ſpetetur.

Prouinciæ *Huquang* Ciuitatis *Siang Tan*, *Iang yn* ita sentit.

Octauum Testimonium vnius Litterati ex Prouincia *Nan King*.

Cælum, Terra, & res omnes habent vnum Supremum *Dominum, ac Rectorem*, & ideo iste colitur. Confusius docuit homines rite mores suos componere, vt seruiant Cælo, & ideo ipse colitur. Progenitores nostri sunt ij, ex quibus nos filij, & nepotes progeniti sumus, ideo quoadusque viuunt, illis obsequium exhibemus, postquam mortui sunt, oblationes illis facimus. Cælum colitur, vt gratiæ illi agan-

In Sinico est *Chu çai*.

LLL Per cœlum colitur vnus supremus Dominus, ac Rector.

MMM Confusius honoratur vt Magister.

NNN Progenitores honorantur vt authores generationis.

agantur pro suis beneficijs, & eius auxilium imploretur. Quando verò Confusius, aut Progenitores defuncti coluntur, nihil ab illis quæritur, aut petitur. Quandoque inueniuntur ignorantes, & rudes homines, qui dicant, cultum Magistrorum, & Auorum defunctorum esse eiusdem ordinis cum cultu Cæli; tales habent quidem humanum corpus, sed brutarum animantium Cor: quomodo illorum verba refutari merentur?

Nihil petitur à Confusio, vel progenitoribus defunctis.

PPP

Qui dicunt cultum Magistrorum, & Auorum defunctorum esse eiusdem ordinis cum cultu cœli, habent corpus humanum, sed brutarum animantium cor.

Prouinciæ *Kiang Nan*, seu *Nan King* ex Ciuitate *Hieu Ning*, subiecta Vrbi *Hoei Cheu Vang Hien Kie* ita sentit.

Nonum Testimonium vnius Litterati ex Prouincia *Huquang*.

In Sinico est *Chu sai*. Colere Cælum est colere nostrum *Dominum, ac Rectorem*, hic cultus continet in se orationes, & auxilij petitiones. Quod attinet ad cultum, qui fit Confusio, hic illi exhibetur, quia fuit hominum Magister, & exemplar; Reuereri Maiores defunctos, est non obliuisci eorum, ex quibus nostra corpora prodierunt, nec est intentio ab illis petendi, aut rogandi auxilij; Si qui ex rudibus hoc asserant, ea sunt mendacia, & vana verba, quæ à secta *Fæ* sparguntur ad decipiendam ignorantem plebem, eamque excæcandam; Viri sapientes, & rerum intelligentes neutiquam id asserunt.

QQQ

Per cœlum colitur noster Dominus, & ab eo petitur auxilium.

RRR

Confusius honoratur vt Magister.

SSS

Progenitores defuncti honorantur vt authores stirpis.

TTT

Si qui dicant, esse intentionem petendi aliquid à defunctis, sunt rudes homines, & dicunt verba mendacia.

Ex Ciuitate *Siang Tan* subiecta Vrbi *Chang Xa*, *Li Peu Cang* ita sentit.

Decimum Testimonium vnius Litterati ex Prouincia *Huquang*.

Hæc vox *Cælum* significat rerum omnium principium, idest eum, quem libri Classici, & antiqui vocant *Xang Ti* Supremum Dominum: Nos cum ipsum colimus, habemus eum rogandi, deprecandi, eique gratias agendi intentionem. Quod attinet ad cultum Confusij, ille est noster Magister, illum ergo colimus, quia est hominum Magister; & exemplar, nullum ab eo petitur auxilium. Colere verò maiores defunctos, est nolle obliuisci nostræ originis, nec dicimus, quod habeant potestatem adiuuandi suos filios, & nepotes. Atque hic est nostri Regni clarissimus,

VVV

Cæli supremus dominus, dum colitur, est intentio eum rogandi, & gratias agendi.

XXX

Confusius honoratur vt Magister, & nihil ab eo petitur.

YYY

Honorare defunctos maiores, est nolle obliuisci originis.

Nullam habent defuncti potestatem adiuuandi filios.

mus; & vniuersalis sensus, & verus, nihil de hoc potest dubitari.

Ciuitatis *Siang Tan*, *Lieu Chin yen* ita sentit.

A 4
Vniuersalis, & indubitatus sensus Regni Sinici.

Vndecimum Testimonium vnius Litterati ex Prouincia *Huquang*.

B 4
Honor erga defunctos maiores oritur ex filiali obseruantia.

C 4
Confusius colitur vt Magister.

D 4
In cultu Confusij, & progenitorum non est intentio petendi aliquid.

E 4
Sensus communis intelligentium.

Quicumque scit, deferendam esse Patri, & Matri obedientiam, & honorem, hoc ipso etiam scit, maiores defunctos esse colendos; quicumque scit, vel vult bene viuere, statim scholam ingressus, dum litteris, ac libris se applicat, scit reuereri Confusium: colere Confusium, est ei reuerentiam præstare, eò quòd sit hominum Magister. Reuereri Progenitores defunctos, est eos reuereri, quia sunt ij, ex quibus nostrum corpus prodijt: in vtroque nulla est orandi, vel petendi auxilium intentio. Sinæ rerum intelligentes eodem modo omnes hæc ita explicant.

Ciuitatis *Siang Tan*, *Ly yuen* ita sentit.

Duodecimum Testimonium vnius Litterati ex Prouincia *Huquang*.

F 4
Cœlo gratiæ aguntur, & ad illud fiunt deprecationes.

G 4
Progenitores defuncti honorantur ex filiali affectu, & memoria.

H 4
Confusius honoratur ob suam doctrinam, & virtutem.

I 4
Nihil speratur à Confusio, vel à progenitoribus defunctis.

Nulla sunt maiora beneficia ijs, quæ nos homines à Cælo accipimus, idcirco illud colimus, illi gratias agimus, illud oramus, & deprecamur. Quod attinet ad nostrum corpus, illud à nostris progenitoribus processit, hinc etiam illos colimus, & illis oblationes facimus, sed hoc nihil aliud est, quàm vt veram, & synceram filialem obedientiam, & memoriam conseruemus. Confusius est omnium sæculorum Magister, ac exemplar, eum colimus ob suam suam doctrinam, & virtutem, in vtroque tamen hoc cultu nihil aliud spectatur, vel speratur.

Ex Ciuitate *Chang Xa*, subiecta Vrbi *Chang Xa*, *Ming Tao*, sic cum reuerentia sentit.

Decimum tertium Testimonium vnius Litterati ex Prouincia *Huquang*.

K 4
Per cœlum colitur cœli Dominus, & Rector.

Dum homines colunt Cælum, non intelligitur istud Cæruleum, ac visibile Cælum, sed colunt Cæli *Dominum*, ac In Sinico est *Chu cai*.

Recto-

Rectorem. Quod nos homines producti simus, quod sustentemur, quòd protegamur, omnia sunt Domini Cæli *Tien chu* beneficia, idcirco ei gratias agimus, & eum rogamus; & hoc omnino certum est. Quod verò attinet ad cultum, & honorem, quem maioribus defunctis præstamus, ille tantummodo fit ad recolendam nostram originem; & nihil præterea. Confusium verò colimus, quia est omnium sæculorum Magister, & exemplar: præterea nullum est omnino verbum, quo rogetur, vt vel auertat mala, vel immittat bona.

L 4 Cœli Domino *Tien Chu* gratiæ aguntur, & fiunt deprecationes.

M 4 Parentes defuncti solùm honorantur ex filiali memoria, & Confusius solùm vt Magister.

N 4 Nihil petitur à Cõfusio, vel progenitoribus defunctis.

Ex Oppido *Chang Xa* subiecto Vrbi *Chang Xa*, *Chin Iu Mui* ita sentit.

Decimum quartum Testimonium viginti septem Litteratorum.

Quod attinet ad cultum, quem maioribus defunctis exhibemus, nos tantum scimus id, quod dicitur: seruire mortuis, sicut seruitur viuis, seruire non iam existentibus, sicut seruitur adhuc existentibus, & nihil aliud, nulla autem insuper est intentio orandi, aut auxilium aliquod petendi. Si verò discurramus de ijs, tum quæ dicit, tum quæ agit praua, & falsa secta *Fœ*, & *Pu Sa* (sunt sectæ Idololatrarum in China) eæ passim sibi ipsis contradicunt, & quotidie contra se ipsas pugnant, nec vllatenus sibi ipsis cohærere possunt, nec cohærentia testimonia habere, & ea quæ dicunt, non sunt vllius auctoritatis, ac ponderis.

O 4 Defuncti solùm honorantur, vt seruiatur mortuis, sicut viuis.

P 4 Non est intentio aliquid petendi à mortuis.

Q 4 Sectæ Idololatricæ in China passim sibi contradicunt.

R 4 Quæ sectæ Idololatricæ afferunt, nullius sunt authoritatis in China.

Vang Ching Pang ex oppido *Han Chuen* subiecto vrbi *Han yang* Prouinciæ *Huquang* ita sentit.

Xang Lu ex oppido *Mien yang*, subiecto vrbi *Ngan Lo* ità sentit.

'Meng Ke Chi ex oppido *Kim Ling* ita sentit.

Cheu Chung ex eodem oppido ita sentit.

Te Po Xi ex oppido *Han yang* subiecto vrbi *Han yang* ita sentit.

Sun guei Chung ex eodem oppido ita sentit.

Cheu Quo ex eodem oppido ita sentit.

Siu Pie Chung ex eodem oppido ita sentit.

Ceng Quam yng ex eodem oppido ita sentit.

Chang Kin Lin ex eodem oppido ita sentit.

Kin Chi Hung ex oppido *Kiang Hia* subiecto vrbi *vu Chang* ita sentit.

Chang

Chang Meng Chien ex eodem oppido ita ſentit.
Vang ym ngan ex oppido *yun mung*, ſubiecto vrbi *Te Ngan* ita ſentit.
Van Pie fu ex oppido *ym Ching* eiuſdem vrbis ita ſentit.
Ciang Cung Xun ex pago *Sien To* oppidi *Mien yang* ſubiecti vrbi *Ngan Lo* ita ſentit.
Chin Xing Hien ex oppido *Tung ngan*, ſubiecto vrbi *yung Cheu* ita ſentit.
Cai ta Fang ex vrbe *ngan Lo* ita ſentit.
Ceu Peu ex vrbe *yen ping* Prouinciæ *Fo Kien* ita ſentit.
Lieu yung ex oppido *Chang Pu*, ſubiecto vrbi *Chang Cheu*, Prouinciæ *Fo Kien* ita ſentit.
Kao yeu Kung ex oppido *Fo Ning* ſubiecto vrbi *Fo Cheu* ita ſentit.
Ceu Pao ven ex oppido *Xun Chang*, ſubiecto vrbi *yen ping* ita ſentit.
Kia Tien Xeu ex oppido *Xu Ching* ſubiecto vrbi *Lieu Cheu* Prouinciæ *Kiang Nan*, ſeu *Nan King* ita ſentit.
Siu van Xen ex oppido *Ho Fi* ita ſentit.
Mao cu Fang ex oppido *Tan Tu* ſubiecto vrbi *Chin Kiang* ita ſentit.
Xe Leu ex oppido *Kiang Ning* ſubiecto vrbi *Kiang Ning* (ideſt *Nan Kino*) ita ſentit.
Xe cy Liu ex eodem oppido ita ſentit.
Ting lh yung ex oppido *Tung ngan* ſubiecto vrbi *yung Cheu* ita ſentit.

Teſtimonium quinque Virorum Litteratorum *Pam-Kiu-Gin*, *Vam-yeu-nan*, *Li-cham-Ium*, *Pam-ſiuen-yuen*, *Su tim-Cao* Baccalaureorum.

S 4

In Confuſio coluntur dotes, quibus Cæli vice illuminauit veram doctrinam, nihil ab eo petitur.

T 4

Progenitores defuncti honorantur vt origo ſtirpis, ex filiali affectu, nihil ab illis petitur.

Quæritur quid cauſæ ſit in honore erga Confuſium, à Sinico hoc noſtro Regno deferri ſolito, in Sacrificijs Cæli, & Terræ, in oblationibus, mortuis adhibitis? ego nomine proprio *Gin*, alijque (infrà ſuſcripti) cenſemus, coli in Confuſio dotes, quibus Cæli-vice illuſtrauit veram doctrinam. Procul abeſt, vt ab illo per adulationem petatur vlla fælicitas. Huc facit locus ille ex libro *Xi Kim*, ſeu Carminum, excerptus: in excelſum Montem attolluntur oculi, poſteaque cæptum iter inceditur. In oblationibus maiorum defunctorum ſpectatur recolendæ æternùm originis ſenſus: Non verò rogantur illi, vt in poſteros fælicitatem demittant, & velut effundant. Liber Carminum, odarumque *Xi Kim* ait: *ſeu de die negotia agitet, ſeu noctu quieſcat,*

quiescat, nihil agat filius, quod in parentum dedecus cedere possit. Ait idem liber præterea, *miserere, miserere parentum, à quibus productus es, & qui tot labores tuâ causâ pertulerunt.* Quonam igitur pacto possumus non esse illorum memores? Si verò erigimus ipsis tabellam ligneam, id facimus, vt hæc nobis velut præsentes illos exhibeat, neque cogitamus, maiorum animas huic tabellæ inesse. Quod pertinet ad ritum Sacrificandi Cælo, ideo fit, quòd Cæli nomine veniat *Dominus, Rector, radix, origo* omnium rerum, non verò Cælum aliquod habens figuram, cui nimirum Sacrificium illud offeratur. Liber *Xi Kim* ait: Supremum Cælum est sine sono, & sine odore, si verò sine sono, sinèque odore est, multo magis non est illud Cælum, quod videtur, Cæruleumque est. Taliter cogitare de Supremo Domino non ne est manifestè errare?

V 4 Tabellæ defunctis eriguntur ad repræsentādos illos neq; creduntur illorum animæ inesse tabellis.

X 4 Per cælum colitur rerum omnium origo, & dominus, non verò materiale Cælum.

In Sinico est *Kenyuen Chuçai.*

Pang Kiu gin, vang yeu nan, Ly Chang yun, Pang siuen yuen, su Ting eao Baccalaurei.

Hoc testimonium quinque Doctorum nomine authenticum fideliter verti.

I. Bap. Regis Soc. Iesu.

Ego infrascriptus Vice-Prouincialis Societatis Iesu Vice-Prouinciæ Sinensis testor, hoc exemplar originale esse legitimum; in cuius fidem officij mei sigillum hîc apposui. Pekini 13. Octobris 1702.

Loco ✝ sigilli.

Antonius Thomas.

Testimonium Viri Litterati *Li-Leam.*

Quid cogitandum est de tribus hisce articulis, de Cumfusij cultu, de maiorum oblationibus, & de Cæli Sacrificijs? ego ita sentio. Colitur Confusius, quòd veterum libros expurgauerit, illustraritque, quòd doctrinam quasi extulerit, quòd induxerit homines ad seruiendum Cælo, ad reuerendum Cælum, & ad non peccandum in Cælum. Quòd docuerit pietatem, iustitiam, ac exactitudinem, fidelitatem erga Regem, obedientiam erga parentes, obseruantiam in Superiores, ac maiores. Absit vt ab illo intelligentiæ vis, aut Magistratus petatur, imò Cumfusius ait, qui peccauit in Cælum, non habet, quem inuocet. Quòd si quis Confusianæ doctrinæ studiosus auxilium eius imploraret, ille Confusianorum præceptorum, ac disciplinę violator haberetur, ac illi quasi terga verteret. Fiunt obla-

Y 4 Doctrina, ob quam honoratur Cōfusius.

Z 4 Nihil petitur à Confusio.

A 5 Implorare auxiliū Confusij, esset contra Confusij doctrinam.

B5 Defuncti progenitores honorantur ex filiali affectu ad reddendas gratias ob beneficia generationis,& educationis.

oblationes demortuis maioribus ad gratum animum testandum ob generationis, educationis, sustentationisque dolores, atque sumptus. Cogitandum enim vnicuique est, se esse productum à Patre, & Matre, qui ab auis generati quoque erant. Huc facit illud dictum Philosophi, *Cem Zu*. Si vnusquisque accuratus, seu attentus sit, si totâ vita nunquam omittat officia erga maiores, populi totius virtus iterum corroborabitur, ac vigebit. Liber *chumyum* ait: ritus, qui exhibentur in parentali mortuorum aula, sunt illi, quibus fiunt oblationes antecessoribus. Nimirum cogitandum est, non debere homines obliuisci parentum, qui sunt veluti arborum radix, & riui fons, respectu genitorum corporum. Ob eam quoque causam tabella lignea erigitur, vt memoria maiorum seruetur. Parantur offerenda, & re ipsa offeruntur, vt obedientiæ sensus prodatur. Multum abest, vt cogitetur, animas tabellis hisce insistere, & vt seu fœlicitas, seu auxilium petatur.

C5 Tabellæ eriguntur ad seruandam maiorem memoriam.

D5 Non creduntur animæ defunctorum in esse tabellis, nec ab illis petitur auxiliū.

Ritus Cælo sacrificandi olim fuerunt instituti ad gratias agendas Supremo Domino, ob productionis, perfectionis, conseruationis; ac protectionis beneficia. Non verò ad colendum figuratum Cælum, terram, sed existentem in Cælo, terraque Dominum, summis honoribus dignum, omniumque intelligentiarum *Dominum*. Idcirco Cumfusius ait: ritus *KiaoXe* dictus est ille, quo seruitur Supremo Domino. In Sinico verò Imperio solus Imperator audet hæc sacrificia offerre, alijs verò Litteratis, aut plebeis ille honos non est permissus. Ideo Imperator *Chimtam* examinabat sese de sex articulis ad officia pertinentibus, atq; in certo loco (*Sang Lin* aulæ nomen) sese inspiciebat, petebatque postea à Supremo Domino, nempe illum vt Dominum reuerebatur, & rogando illum id probabat. Quonam verò pacto id potest intelligi de Cælo visibili? Ita ego scripsi verè, vt sensi.

E5 Per Cælum non colitur à Sinensibus materiale Cælum, sed ille, qui est in Cælo, & Terra supremus Dominus.

In Sinico est *Chuçai*

Ly Leang.

Hoc testimonium authoris nomine authenticum fideliter verti.

I. Bap. Regis, e Soc. Iesu.

Ego infrascriptus Vice-Prouincialis Societatis Iesu Vice-Prouinciæ Sinensis, testor hoc exemplar originale tum Sinicum, tum Latinum esse legitimum. In cuius fidem, officij mei sigillum hîc apposui.

Pekini 13. Octobris.

Loc. † sigilli.

Antonius Thomas.

Ego

Ego Episcopus Macaensis testor, hanc esse veram copiam originalis, in cuius fidem appono hîc sigillum meum, & subscribo. Macai 20. Ianuarij ann. 1703.

Loco † sigilli.

Io. de Cazal Episcopus Macaonensis &c.

Ego Notarius Episcopalis fidem facio, hanc suprà testificationem esse propriam Illustrissimi D. Ioannis de Cazal Episcopi Macaensis, in cuius fidem hîc subscribo.
Macai 20. Ianuarij an. 1703.

B. à Cunha.

Explicatio Cæremoniarum in oblationibus.

Obsequentes interrogationi Magistri *Fang* (Patris Bayard) de oblationum, & reuerentiarum, quæ in Regno Sinensi Confusio fiunt, Ritibus, respondemus.

F 5 Quadraginta, & vnius litteratorum testimonium.

Quia Confusius est Magister omnium sæculorum, & quia honorarij Regis dignitatem habet, ideo in omnibus Regni Sinarum Vrbibus, tam primarijs, quàm secundarijs erectum est Gymnasium, & Imperator iubet, illius Terræ gubernatorem Vere, & Autumno binas oblationes peragere, iuxta ritus Solemniorum oblationum, ad demonstrandam veram gratitudinem, nec vlla fit inuocationis, vel deprecationis mentio. Quando reuerentiæ exhibentur Auis defunctis, fiunt eæ secundum id, quod in libro *Chum Iung* (à *Cu Su* Confusij Nepote composito) dicitur: *seruiendum mortuis, sicut seruiretur viuis, seruiendum defunctis, sicut seruiretur ijs, si etiam num superstites essent*. His duobus verbis determinari potest finis oblationum, & rituum, qui fiunt in China. Quidquid præterea vndecunque reprobandum, vel vanum additur, prorsus non congruit cum Imperij Sinici magna doctrina, neque est Regni Sinensis Communis Sensus, hinc nullum fundamentum est illud explicandi, nullum fundamentum illud credendi.

G 5 Confusius honoratur, vt Magister.

H 5 Nullę Cófusio fiunt deprecationes.

I 5 Progenitores defuncti honorantur, vt seruiatur mortuis, sicut seruiretur viuis.

K 5 Si quæ alia superadduntur his ritibus, non congruunt cum commuui Imperij Sinici sensu.

Rituum in oblationibus Confusij forma.

L 5 Ritus in oblatione solenni Confusij, & eorum expositio.

Ritus.

Pridie occiduntur Sus, Capra, & cætera Animalia, oblationis Præses adest, & videt quæ à Canione occiduntur, & hic Ritus dicitur examinare animalia.

Expositio.

Quia examinat, vtrùm ea debeant adhiberi, vel non, sicut quando inuitatur nobilis aliquis hospes, oportet probare fercula, num exquisita sint, & munda, nec ne, si id non fiat, hoc ipso committitur defectus.

Die

Ritus. Die Oblationis, nec dum clara luce, illius loci Litterati conueniunt in Gymnasium, & qualem quiuis functionem habiturus sit, inter se partiuntur, & ex vtroque latere adstant.

Expositio. Idem est, ac quando Magistro adhuc viuenti discipuli adstant, euntes, & redeuntes, ex intentione illi seruiendi, illumque colendi.

Ritus. Ante tabellam Confusij disponuntur odores, Candelæ, Vinum, & fercula.

Expositio. In China, dum inuitatur hospes, idem etiam fit, cremantur odores, accenduntur Candelæ in testimonium reuerentiæ.

Ritus. Præses oblationis est Gubernator.

Expositio. In Metropoli est Præfectus ærarij Regij, in Vrbibus primi, & secundi Ordinis sunt illarum Vrbium Gubernatores.

Ritus. Primùm stant in inferiori parte graduum, & exhibent reuerentiam, quæ fit manibus, & capite in terram demissis.

Expositio. Confusius habet dignitatem Magistri, habet insuper dignitatem Regis, propterea fit illi reuerentia illa inclinato in terram capite in parte inferiori Aulæ, ad honorandam eius dignitatem, & nobilitatem.

Ritus. Postmodum ascenditur in Aulam ante tabellam Confusij, offertur Vinum, & fercula, offertur item pannus Sericus.

Expositio. Hîc apud nos in China, quando inuitatur præclarus aliquis hospes, semper Vínum, comestibilia, & reliqua debent illi proprijs manibus reuerenter offerri, in signum reuerentiæ.

Si aliquando effundatur Vinum in terram, etiam spectat ad Ritus excipiendi honoratiores hospites, quod verò pannus Sericus, vel defodiatur in terram, vel comburatur, ex ea intentione fit, vt ostendatur, alios ex reuerentia eo ampliùs non audere vti.

Ritus. Præses oblationis bibit vinum, & excipit carnem, quæ oblata erant. Postea quæ residua sunt ex carne porcina, caprina, vel alijs carnibus, diuiduntur inter omnes Litteratos, & Doctores.

Expositio. Hoc fit, sicut quando Imperator fercula, & potum residuum ex sua Mensa, omnia diuidit, & dat alijs ad munificentiæ ostentationem.

Postea sumuntur Porci, & Capræ capilli, & sanguis, & terræ infodiuntur.

Supradicti omnes Ritus in China cohærent cum Ritibus honorandi homines viuos. Nunc, quod spectat ad oblationes,

tiones, quæ fiunt iam defunctis, etiam secundùm hos Ritus fiunt: Scilicet nihil sunt aliud, quàm quòd, secundùm id, quod dicitur, illis fiant oblationes, quasi si adhuc superstites essent. Nullus alius finis habetur.

V Pie Ping Baccalaureus Ciuitatis *Hoang Ngan*, dependentis ex Vrbe *Hoang Cheu*.

Lu Cung Baccalaureus honorarius ex eadem Ciuitate.

Lu Hia eligendus in Assessorem Gubernatoris Vrbis secundi Ordinis ex eadem Ciuitate.

Vang Lien eligendus in Assessorem Gubernatoris Vrbis tertij Ordinis ex eadem Ciuitate.

Lu Chu Baccalaureus ex eadem Ciuitate.

Ou Kung fo Licentiatus ex eadem Ciuitate.

Lu çie eligendus in Assessorem Gubernatoris tertij Ordinis ex eadem Ciuitate.

Chang çeng Hi Baccalaureus emeritus ex eadem Ciuitate.

Lu Quon Baccalaureus ex eadem Ciuitate.

V Xi Kie eligendus in Assessorem Gubernatoris tertij Ordinis ex eadem Ciuitate.

Lu Chu Secundarius literarum Præfectus Ciuitatis *Siang Tang* ex eadem Ciuitate.

Tung Tuen Baccalaureus ex Ciuitate *Ma Ching* dependente ab Vrbe *Hoang Cheu*.

Keng Hing Tai eligendus in Assessorem Gubernatoris Vrbis tertij Ordinis ex Ciuitate *Hoang Ngan* dependente ab Vrbe *Hoang Cheu*.

Lu Ngai eligendus in Assessorem Gubernatoris Vrbis tertij Ordinis ex Ciuitate *Ma Ching* dependente ab Vrbe *Hoang Cheu*.

Ceng Kin Baccalaureus primus in prima serie ex Ciuitate *Ma Ching* dependente ab Vrbe *Hoang Cheu*.

Ceng Tao Kai Baccalaureus ex eadem Vrbe.

Tay Ping Que Baccalaureus primus in prima serie ex Vrbe *Tun Tang*.

Pung ven Hieu Baccalaureus ex Vrbe *Ma Ching*.

Hung Leang Baccalaureus ex eadem Ciuitate.

Tao ven çing Baccalaureus ex Ciuitate *Hoang Ngan* &c.

Pung Tien Han Baccalaureus ex Ciuitate *Ma Ching* &c.

Pung cy Tai Baccalaureus ex eadem Ciuitate.

Siu Kia Lin Baccalaureus ex Vrbe *Hoang Cheu*.

Pung Chi Fang Baccalaureus primus in prima serie ex Ciuitate *Hoang Ngan* &c.

Pung Tum Sieu Baccalaureus ex eadem Ciuitate.

Cham Ching Lun Baccalaureus ex eadem Ciuitate.

Pung Chi Hoa Baccalaureus ex eadem Ciuitate.
Tang Kiai Baccalaureus primus in prima ſerie ex Ciuitate *Siang Tan*.
Cem Heng Baccalaureus primus in ſecunda ſerie ex eadem Ciuitate.
Quang Su Hung Baccalaureus ex eadem Ciuitate.
Quang Su Siun Baccalaureus ex eadem Ciuitate.
Tang çing Fuen Baccalaureus ex eadem Ciuitate.
Tang çing Hiun Baccalaureus ex eadem Ciuitate.
Lieu Chao Te Baccalaureus ex Ciuitate *Teu*.
Yn Kia Ping Baccalaureus primus in prima ſerie ex Ciuitate *Cha Ling*.
Yn Tuen Seng Baccalaureus primus in prima ſerie ex eadem Ciuitate.
Tan Pao Lien Baccalaureus ex eadem Vrbe.
Chin Xi To Baccalaureus primus in prima ſerie ex Ciuitate *Li Ling*.
Ceng çao Baccalaureus primus in prima ſerie ex Ciuitate *Siang Tan*.
Chang çan Licentiatus ex eadem Ciuitate.
Ceng To Baccalaureus primus in prima ſerie ex Ciuitate *Chang Xa*.

Sequentia P. Io: Simon Bayard Miſsionarius Sinenſis ſuâ manu addidit.

Hanc Rituum Sinicorum declarationem, à Litteratis Chriſtianis compoſitam approbarunt omnes gentiles, qui eam legerunt, & nominatim ij, quorum hic nomina, Patria, & gradus ſcripta ſunt: Collegerunt verò eorum ſuffragia duo Chriſtiani *Emanuel Ceng* Baccalaureus *Chang Xa Fu*, *Siang Tan Hien*, *Quon Tien* oriundus, & Ioannes *Puon Vu Chang Fu* Ciuitatis Incola. Hæc autem gentilium Litteratorum ſuffragia ſunt num. 41. 27. primò ſcripta à *Ioanne Puon*: 14. verò poſteriùs ſcripta nomina ab *Emanuele Cemg* collecta fuerunt.

Teſtimonium iuratum Lin *Michaelis Chriſtiani Fokienſis*.

Num. 8.
Teſtimonium ex Prouincia *FoKien*.
A
A puero baptizatus, & ex Catholicis parentibus natus eſt.

Ego infraſcriptus *Lin* Michael ex Ciuitate *Fo Cim Hien* ſubiectâ Metropoli Prouinciæ *Fokien*, in qua antea moratus ſum; nunc *Po Xe*, ideſt Mandarinus è Tribunali Mathematices, à teneris baptizatus, & à parentibus ante quartam generationem Chriſtianis ortus, teſtor, ſcire me vnum Sacerdotem ex Ordine Sancti Dominici, cum improbaſſet, tanquam meram ſuperſtitionem, & hæreſim in Sancta Lege

Ritus,

Ritus, quibus Sinæ colunt Confusium, & Progenitores defunctos, idque contigisset in Ciuitate *Fo Ngan Hien* eiusdem Prouinciæ *Fokien*; hinc homines Litteratos ansam arripuisse pessimè loquendi de Religione Christiana, veluti de lege prohibente filiorum reuerentiam erga parentes, & Magistris debitam discipulorum obedientiam; hominumque cōditionem ad brutorum Ordinem redigentem; Christianorum animos è contra ex eo cæpisse plurimum refrigescere; infidelium verò Litteratorum, & quidem non paucorum, à Sancta Lege suscipienda deterritos: Quin & nonnullos Christianorum eo deuenisse, vt dicerent, Sectam Idololatricam, *Fæ* nomine notam, sic oppositam esse doctrinæ Librorum Classicorum, vt sit quoque Legi Christianæ omnino cōtraria: Atque adeò si qui nunc publicant Legem Christianam, Patrem Iulium Aleni imitati, cum Litteratorum Sinarum doctrinâ, quoad fieri potest, conuenirent, hanc legem tandem aliquando ab innumeris amplectendam; verùm cùm nunc illuc appellentes Missionarij Europæi habeant se diuerso modo ab antecessoribus suis, & diuersè ab ijs doceant in Templis, quasi nouam portam Sinis aperire velint, Missionarios fore causam ruinæ Religionis, ipsosque inter se veluti commissa manu decertantes, Sinis nihil nocentibus, eius cladem acceleraturos.

B
Qui prohibent cultum Confusij, & progenitorum, dicuntur prohibere debitā parentibus, & Magistris reuerentiam.

C
Prohibitio horum Rituū impedit prædicationem Sanctæ Fidei.

D
Timenda ruina Missionis ex ipsis Missionarijs.

Testor insuper, me audiuisse de quodam Christiano in Litteratorum Oppidi *Fo Ngan Hien* censum adscripto, cùm Missionarius illius loci illi interdixisset Confusij cultum; eum suo Pastori obsequentem, omissâ diei condictæ reuerentiali cæremoniâ, à Mandarino conquiri, & apprehendi iussum, ad superius Tribunal, nisi oblato, vt fit, munere se redemisset, deferendum fuisse: Sed cùm postea idem Mandarinus vrgeret ad reparandam culpam, ac debitum Confusio honorem exhibendum, illum Christianum ad Templum perrexisse, quæsitum, quid facto opus esset, quo se ab illa molestia liberaret: Missionarium tunc ei permisisse quidem, vt quo iubebat Mandarinus, pergeret, dummodo in ipso actu cæremoniali sic voce profiteretur: Ego colo vnum Deum, non verò te (ò Confusi); neque in hoc quidquam falsi affingo.

E
Permissus fuit cultus Confusij cum protestatione.

Addo, Sinas suspicari, homines Europæos meditari aliquid contra Imperium, dicereque, cum Európæis præclarè omnino agi sub Tartarorum Dominio, barbaros à Sinis non discernentium, idque in causa esse, cur nunc dissimulent: Sinarum suspiciones foueri imprimis nouâ hac consuetudinum suarum mutatione: Quantò magis, si tollatur

F
Suspicantur Sinæ, Europæos machinari aliquid contra Imperium, & suspicio augetur ex prohibitione horum Rituum.

G
Missionarij auferendo tabellam *King Tien* rei fient contemptæ Maiestatis.

latur Regia tabella his litteris inscripta *Kim Tien*, Missionarij rei fient contemptæ Maiestatis, rem que Christianam in summæ calamitatis discrimen adducent. Ego, inquam, parentum Christianorum quarta generatione ortus, supra relata certa esse, non sine summo dolore coram D. Maiestate testor, & quidem cum iuramento.

Loco ✠ sigilli.

Lin Michael.

Ego infrascriptus V. Prouincialis Societatis Iesu V. Prouinciæ Sinensis testor, hoc exemplum originale esse legitimum, in cuius fidem Officij mei sigillum hîc apposui. Pekini 9. Octobris 1702.

Loco ✠ sigilli.

Antonius Thomas.

Iuratum hoc testimonium ex originali Sinico, huic agglutinato, ritè versum, ac fideliter traductum esse testor. Ioachimus Bouuet Sacerdos Societatis Iesu.

Ego Episcopus Macaensis testor, hanc esse veram, & propriam copiam originalis, in cuius fidem sigillum meum hic appouo, & subscribo. Macai 20. Ianuarij 1703.

Loco ✠ sigilli.

Ioannes de Cazal Episcopus Macaonensis.

Ego Notarius Episcopalis fidem facio, hanc supra testificationem esse propriam Illustrissimi Domini Ioannis de Cazal Episcopi Macaensis, in cuius fidem hîc subscribo. Macai 22. Ianuarij anno 1703.

B. à Cunha.

Num. 9.
Testimonia ex Prouincia *Quam si*, in quam fides à paucis annis inuecta est, & aperta Ecclesia fuit.

Testimonium vnius Christiani Litterati Leou-Chi-Pin. *Sancto nomine* Li-no (*Lini*)

A
In Confusio honoratur eius virtus, & doctrina.

B
Nihil petitur à Confusio.

Cultus Confusij, Cæli, terræque sacrificia, oblationes mortuorum, quem demum sensum habent? Ego sic statuo. Honoribus hisce honoratur Confusij virtus, doctrina commendatur, obseruantia erga Magistrum adhibetur. Nulla verò ratione intelligentiæ vis, aut Magistratus honores, redditusque petuntur; ad hoc præstat afferre aliquod Confusij effatum, quod probationis non nihil facere possit. In reli-

relictis à se Libris ait Confusius: Magnorum Virorum scientia posita est in illustrando intellectu, seu animæ potentiâ. Explicatio verò ait: Intellectus, seu animæ potentiâ, quæ illustrari potest ab homine, ea ipsa est, quam homo à Cęlo accepit. Hanc Cęlum infudit valde puram, prauisque effectibus vacuam, valde intelligentem, minimeque obscuram; eam demum quæ possit omnes, veritates, atque doctrinas complecti, quæque infinitis negotijs sustinendis par sit. Liber *Xou Kim*, & *Xam* dictus, vbi loquitur de *Tai Kia* dicit: Attendebat ad Cęli claram legem. Explicatio verò addit: Illa clara lex est ea, quæ nobis à Cęlo indita est, indita porrò est ad virtutem nobis parandam, quæ duo loca eodem pertinent; poteſtque ex his perspici, hominum claram intelligentiam esse ab illa clara lege, quæ nobis ingenita est, seu quæ nobis pro natura est. In sinu porrò naturæ rationalis inest, 'inuoluiturque intelligendi potentia, atque virtus. Absit ergo, vt clara intelligentia ab vllo homine tanquam præmium, atque Officiorum merces tribuatur. Inde est hæc quotidiana omnium vox: Peritiam nonnullus habet, dicitur statim illa perspicacia à Cęlo produċta est. Quod dictum est certè verissimum. Quis vnquam dixit, hominis huius perspicacia à Confusio producta est? Quin Confusius, dum viueret, peragrauit omnia Sinici Imperij Regna, nec tamen obtinere potuit, vt aliquem Regem inueniret, clarâ adeò intelligentiâ donatum, qui doctrinam, quam prædicabat ille, complecteretur. Totâ proinde vitâ plebeiorum hominum vestem nunquam deposuit, nempe, vt aiebat, honorum insignia, diuitiarumque opes pendent à Cęlo. Velle itaque petere à Confusio dignitatem, atque emolumenta, nihil aliud esset, quam Confusio inaniter adulari, operamque perdere. Id dumtaxat in cultu Confusij spectatur, summa ipsius rectitudo tum in verbis, tum in factis. Docuit v. g. Viris magnis penetrandum esse in res ipsas; Hoc pacto deueniri ad scientiæ apicem; inde fixum, solidumque haberi de rebus iudicium; Ex hoc existere cordis rectitudinem; Hinc verò enasci propriæ cuiusque personæ reformationem, priuatæ cuiusque domus ordinem, Regni cuiuslibet bonum regimen, totiusque adeò Imperij tranquillitatem. Hanc vniuersam doctrinam suo ille etiam exemplo perbellè vulgauit. Qui postea successerunt Principes, & Magistratus, Litterati, & rudes, atque plebei Confusium sibi sequendum proponunt, atque ob eam causam tanquam antiquus Magister colitur.

C
Doctrina Confusij.

Quod ſpectat ad ritum ſacrificandi Cælo, Terræ, Sinici Imperij Reges antiqui, & veteres Magiſtri omnes docuêre, ab hominibus honorandum, ac verendum vnum *Dominum, ac Rectorem* Supremum Cæli, Terræ, ſpirituum, hominum, rerumque omnium. Hunc autem appellarunt *Xam Ti*, ideſt Supremum Dominum, quemadmodum appellat liber *Xu Kim*, dum ait: *Xam Ti*, ideſt, Supremus Dominus accedit tibi; Cor non ſit diuiſum. Item Imperator *Chim Tam* dicebat: ego timeo Supremum Dominum *Xam Ti*, ideo non auſim non eſſe rectus. Confuſius quoque ait, ritus *Kiao Xe* dictus, ſeu, vt vulgò dicitur, Cælo, Terræque ſacrificandi ritus eſt ille ipſe ritus, quo ſeruitur Supremo Domino, ſeu *Xam Ti*. Hactenus auditum non non fuit, timendum, ſeruitioque demerendum Cælum, terramque, figurata, materialiaque. Quod itaque dicitur: Sacrificari Cælo, Terræ, hanc habet explicationem. V. g. in Vrbis *quoei lim fu* Tribunali haud dubiè eſt Dominus Gubernator, qui regit populum, & quem populus ſummè colit; nemo tamen audeat illum proprio nomine appellare, ſed titulo, eoque ſolo ab vrbis *quoei lim* nomine, vrbiſque *fu* dignitate, ordineque petito Dominus ille appellari ſolet: ad eum protſus modum, quo ipſe Imperator ab aula Palatij Regij *Chao Tim* appellatur. Idcirco dicitur, ſacrificari Cælo, Terræ, nempe ſupremo Domino, ac ſupremâ poteſtate Cælum, & Terram gubernanti, in quo nominando, cùm non audeant vſurpare vocem *Xam Ti*, vtuntur his duabus litteris *Tien Ti*: hæc videlicet eſt nominandi ratio, ac praxis. Præterea liber claſſicus *Xi Kim* dictus ait: *Xam Ti*, ideſt Supremus Dominus eſt ſine voce, ſine odore. Vbi nam dicitur, Cælo viſibili, ceruleoque ſacrificari? viſibile illud, cæruleumque Cælum habetne intelligentiam, vt ſacrificia, oblationeſque acceptare poſſit? quonam pacto liber *Chum yum* ait. Cælum, Terra quàm magna ſunt; & tamen homines contra iraſcuntur, & obmurmurant. Contra quam enimverò rem ait homines iraſci, atque obmurmurare? certè contra Cælum, Terram? an contra Cæli, Terræ ſubſtantias viſibiles, atque ſenſibiles? an potiùs contra vnum Supremum, qui ſciat protegere, atque adiuuare, eumdemque minimè viſibilem, ſed occultum, ſed ſummum *Rectorem*, *ac Dominum*, potentem occidere, ac viuificare, demittere fœlicitatem, & infœlicitatem. Ob hanc ergo cauſam Sinarum antiqui Principes abſtinentiam adamarunt, ſeu accur ati, ac attenti fuere.. Virtutibus ſe ſe excoluerunt, timorem

D
Per Cælum colitur vnus ſupremus Dominus Cæli, Terræ, ſpirituum, Hominū, rerumque omnium.

In Sinico eſt *Chu cai*.

E
Supremus Cæli Dominus ex reuerētia appellatur *Tien* Cęlum, ſicut gubernatores appellantur nomine Vrbis, & Imperator dicitur *Chao Ting*, ſeu aula Regia.

F
Per *Chu cai* indicatur ſupremus Dominus.

In Sinico eſt *Chu cai*.

morem maximum præſetulerunt, magnam adhibuere animi contentionem, vt cautè reuererentur. Inſtituerunt ritus, muſicamque compoſuerunt, vt ritè ſeruirent. Sacrificia obtulerunt, vt memorem animum, verumque gratitudinis ſenſum teſtarentur, ob productionis, nutritionis, conſeruationis, & protectionis beneficia.

Deuentum eſt ad maiores. Ex his ſiquidem, tanquam ex radice, corpus noſtrum exiſtit. Supremus Dominus omnia ad ſolius hominis bonum produxit, illiſque omnibus hominem donauit. Ipſius anima, quæ rationalis eſt, complectitur recogitandi, atque amandi duplicem potentiam. Nihil poteſt illa non recogitare, nihil poteſt illa non amare. Qui amat parentes, dubio procul debet illos colere, & poſtquam illi non jam ſunt ſpectabiles, colere originem, vnde ipſe profluxit. Inde eſt, quòd accipiuntur maiorum nomina, titulique, quòd notantur annus, & menſis mortis, atque natiuitatis, quòdque hæc omnia inſcribuntur tabellæ ligneæ, quæ mortuis jam ſepultis erigitur. Quatuor verò anni temporibus eiſdem fiunt oblationes, vt colendi illos non ſecùs, ac viuos animus prodatur, & vt poſteri originis propriæ non obliuiſcantur. Nullo verò modo auxilium illorum imploratur, aut illorum animas tabellis ligneis inſidere fingitur. Is eſt ſenſus præciſus. Sancta porrò lex in quarto Diuino mandato præcipit colere parentes, & parentum maiores, auos ſcilicet, & prædeceſſores, quî non liceret recordari illorum? eumque animum diutiſſimè conſeruare? Ipſe etiam audiui, in cæteris Regnis nullum eſſe, in quo hæc litterarum, ac virtutis beneficia à maioribus poſteri non acceperint. Illorum hominum ad memoriam excudi vultus, haberique Imagines? Nos itaque maiorum titulos tabellæ erectæ inſcribentes, quanam ratione continuò in ſuſpicionem vocamur? Ita verè ſcripſi, vt ſentio.

G Parentes defuncti honorantur ex filiali affectu, vt origo generationis.

H Tabellis inſcribuntur nomina parentum, tituli, annus, & menſis mortis, ac natiuitatis.

I Tabella Defunctis erigitur, & illis oblationes fiunt, ne poſteri originis ſuæ obliuiſcantur.

K Non imploratur auxilium parentũ, nec eorum animæ tabellis ligneis inſidere finguntur.

L Tabellæ comparantur cum pictis Imaginibus parentum, quæ ſolent haberi in alijs Regnis.

Ex parte meridionali Prouinciæ *Huquang*, ex oppido *Heng Yang*, *Leu Chi Pin* Sancto nomine *Linus*.

Hoc Teſtimonium Authoris nomine, & ſigillo authenticum fideliter ſum interpretatus è Sinico originali.

I. Bap. Regis è Soc. Ieſu.

Ego infraſcriptus Vice-Prouincialis Soc. Ieſu V. Prouinciæ Sinenſis teſtor, hoc exemplar originale tum Sinicum, tum lati-

latinum, esse legitimum; In cuius fidem sigillum apposui Pekini 13. Oct. 1702.

Antonius Thomas.

Loco ✠ sigilli.

Ego Episcopus Macaensis infrascriptus testor, hanc esse veram, & propriam copiam originalis, in cuius fidem hîc sigillum meum apposui. Macai 20. Ianuar. ann. 1703.

Loco ✠ sigilli.

Ego Notarius Episcopalis fidem facio, hanc suprà testificationem esse propriam Illustrissimi Domini Ioannis de Cazal, in cuius fidem hîc subscribo. Macai 22. Ianuar. ann. 1703.

B. à Cunha.

Num. 10.
Testimonia ex alijs Prouincijs.

Testimonium duorum Litteratorum Christianorum *Chu Mateo*, & *Quam Paolo*.

A Confusius honoratur, vt Magister.
B Non petitur à Confusio auxilium.
C In cultu progenitorum intenditur filialis obedientia, minimè autem opis imploratio.
D Per Cælum colitur supremus Dominus, qui insensibilis est.

Nostrum hoc Sinicum Imperium colit Cumfusium. Nempe ille docuit homines reuereri Cæli mandatum, iussitque illos seruire Supremo Domino; ideo necesse est, conuenitque, nos illum colere vti antiquum Magistrum; Non verò petere ab illo aut præclarum ingenium, aut auxilium, præsidiumque. Insuper in oblatione Maioribus adhibitâ non aliud intenditur, quàm filialis obedientiæ animus; Minimè autem opis imploratio. Denique quod spectat ad ritum sacrificandi Cælo; Ille ab antiquo profectus est, spectatque supremum Dominum sine voce, odoreque, seu insensibilem. Olim non coluere Cælum cæruleum.

Chu Matthæus Hoang Paulus.

✠ pro cyfra. Sinicè *ya*.

Hoc Testimonium Authorum nomine, & Sinica cyfrâ authenticum fideliter verti.

I. Bap. Regis Soc. Iesu.

Ego infrascriptus Vice-Prouincialis Soc. Iesu Vice-Prouinciæ Sinensis, testor, hoc originale exemplar tum Sinicum, tum Latinæ versionis esse legitimum; In cuius fidem officij mei sigillum hîc apposui. Pekini 3. Octobris 1702.

Loco ✠ sigilli.

Antonius Thomas.

Ego

Ego Episcopus Macaensis testor, hanc esse veram, & propriam copiam Originalis, in cuius fidem hîc sigillum meum appono, & subscribo. Macai 20. Iannar. ann. 1703.

Loco ✠ sigilli.

Ioannes de Cazal Episcopus Macaonensis &c.

Ego Notarius Episcopalis fidem facio, hanc suprà testificationem esse propriam Illustrissimi Domini Ioannis de Cazal Episcopi Macaensis; In cuius fidem hîc subscribo, Macai 22. Ianuarij ann. 1703.

B. à Cunha.

TESTIMONIVM

Viri Litterati Christiani nomine *Cai Sa-lo-to*,

Verus Dominus certè est ille Dominus, qui produxit Cælum, Terram, Hominem, resque omnes. Inter illos, qui Sanctam Legem non ingressi sunt, duplex est hominum genus. Sunt veritatis sectatores, illique sciunt Cælum, Terram, Hominem, resque omnes esse à vero Domino productas. Sunt & homines non intelligentes; Isti ignorant vnde hæc omnia profecta sint. Quæ verò mortuis decessoribus eriguntur tabellæ, huc pertinent, vt obedientiæ, honorisque animus in lucem proferatur, & suæ originis, radicisque memoria seruetur. Absit vt existimetur, dicaturque, mortuorum animas tabellis hisce insidere. Quin & inter Ethnicos, qui veritatem explorant, suntque intelligentes, sciunt tabellam esse quid vacuum, reique inane; Non verò animas sustentare.

E Veritatis sectatores sciunt res omnes esse à vero Domino productas.

F Tabellæ progenitoribus defunctis eriguntur, vt ostendatur gratus erga maiores animus, & eorum memoria conseruetur.

G Etiã gentiles sciunt animas Defunctorũ non esse in Tabellis

Cai Sa-lo-to scripsit.

Hoc testimonium authoris nomine authenticum fideliter verti,

I. Bap. Regis Soc. Iesu.

Ego infrascriptus Vice-Prouincialis Soc. Iesu Vice-Prouinciæ Sinensis testor hoc exemplar originale tum Sinicum, tum Latinæ versionis esse legitimum; in cuius fidem officij mei sigillum hîc apposui. Pekini 3. Octobris 1702.

Loco ✠ sigilli.

Antonius Thomas.

Ego Episcopus Macaensis testor, hanc esse veram, & propriam

priam copiam Originalis, in cuius fidem sigillum meum hîc appono, & subscribo. Macai 20. Ianuar. ann. 1703.

Loco ✠ sigilli.

Ioannes de Cazal Episcopus Macaonensis &c.

Ego Notarius Episcopalis fidem facio, hanc suprà testificationem esse propriam Illustrissimi Domini Ioannis de Cazal Episcopi Macaensis, in cuius fidem hîc subscribo. Macai 22. Ianuar. ann. 1703.

B. à Cunha.

Num. 11. Scriptum quoddam ab Illustrissimo D. Maygrot impressum in China.

Hominum genus cumulatur à Deo innumeris beneficijs, & Christiani insuper habent cælestem gloriam, quam possint sperare. Nisi parentes genuissent corpus, quomodo his (beneficijs) possemus frui? Quando parentes sunt mortui, horum beneficiorum non obliuisci, Sanctæ Legis præcepta imperant. Primò dicitur: colere, & amare Deum; & statim deinceps dicitur: honorare, & obedire parentibus. Quòd si violetur obedientiæ, & reuerentiæ filialis lex, ipsum etiam Dei mandatum violatur. Mundani illi homines, qui temerè sibi persuadent, quòd mortui possint demittere calamitates, vel bona, arbitranturque mortuos inniti pedali ligno; huiusmodi homines non intelligunt viuorum, & mortuorum doctrinam. Sancta Lex hoc reijcit, & *Zu yeu* (discipulus Consusij) alloquens *yeu Zu* (alium suum Condiscipulum) etiam dixit: necdum est visum, quòd his fruantur (oblatis scilicet sibi cibis animæ Defunctorum) Nos Christiani seruimus viuis, satagendo, vt illorum corporibus alimenta præbeamus, præcipuam autem facimus diligentiam, vt simul nobiscum seruiant *magno Domino*, vt ad Cæli gaudia simul nobiscum tendant; dum seruimus defunctis, assistendo ad illorum corpus, & feretrum, certè omnem veritatem, & fidem adhibere oportet. Insuper cum doleamus, eorum vocem, & speciem iam abijsse, (vel eos ampliùs nec videri, nec audiri posse) & pro magnis beneficijs à nobis nihil ipsis retribui, ideo inscribimus eorum nomina ligno, & statis per annum temporibus illud videntes, reuerentiam exhibemus, eâ intentione, vt gratias reddamus pro generationis, & natiuitatis nostræ beneficijs, cum inde à Parentibus, Auis, & Maioribus nostris ascendamus vsque ad magnum Pa-

A Ex libris Sinicis probat Illustris. Cononensis, animas Defunctorum non frui oblatis.

B Etiam Christiani iuxta doctrinam Illustris. Cononensis, nomina parentum tabellis inscribunt, & statis anni temporibus eis reuerentiam exhibent pro beneficijs generationis, & natiuitatis.

Patrem, & Matrem, natiuitatis, & creationis nostræ originem, & vsque ad finem vitæ nec desides simus, nec immores horum; ecquis dicat, Sanctæ Legis sectatores non colere suos auos defunctos?

C Deus vocatur magnus Pater, & Mater, *Ta fu mu*.

„ † Hoc exemplar Andreas *Li* habuit, quando degebat
„ in Ecclesia Patris *yu* (idest à Leonissa) Ordinis San-
„ cti Francisci sita in Vrbe *Ngan King*. Originalis excul-
„ pta tabella pro imprimendis his exemplaribus existit in
„ Metropoli Prouinciæ *Kiang Nan* (seu *Nan Kini*) missa
„ ab Episcopo *Ten* (idest Illustrissimo Maygrot) commo-
„ rante in Ecclesia Metropolis Prouinciæ Fokien (idest in
„ *Fo Cheu*.)

Ego infrascriptus Secretarius Tribunalis Eminentissimi, & Renerendissimi D. Card. de Carpineo Sanctissimi D. N. Papæ Vicarij Generalis &c. legi, & recognoui de mandato eiusdem Eminentissimi Domini mei omnia documenta, à Sinicis exemplaribus in Idioma Latinum versa, & à RR. Patribus Societatis Iesu Procuratoribus Causæ Sinensis præfato Eminentissimo, & Reuerendissimo D. Cardinali Vicario (ita iubente Sanctissimo Domino Nostro) exhibita, & quoad manus latinè subscribentium identitatem, recognita coram Illustrissimo D. Secretario Sacræ Congregationis Propagandæ Fidei à duobus RR. DD. Custodibus Archiuij eiusdem Sacræ Congregationis, exceptis duobus testimonijs, quæ *num.* 2. *littera A. B. C.*, *& num.* 5. *à littera A.*, *vsque ad litteram AA.* exclusiuè referuntur, quorum testimoniorum subscriptiones recognitæ sunt à Reu. P. Secretario Generali Societatis Iesu.

Exceptis etiam ijs Testimonijs, quorum versio latina cùm desideraretur in Sinico exemplari, facta est in hac Alma Vrbe à RR. PP. Francisco Noel, & Gasparo Castner, vt ipsimet asseruerunt, ea verò sunt, quæ referuntur *num.* 2. *à litt. D. ad litt. R. inclusiuè, & num. 6. à litt. A. ad litt. F. exclusiuè*, item *à litt. CC. ad litt. HH. exclusiuè, & num. 7. à litt. AA. ad litt. S.* 4. *exclusiuè, & à litt. F.* 5. *vsque ad num.* 8. Item *num.* 11. Nomina etiam Testium Sinensium quæ *num. 3. post litt. AA.* referuntur.

Hæc omnia documenta impressa sunt in septuaginta quinque paginis à me subscriptis, & facta collatione inter dicta documenta manu scripta, & typis impressa planè, & de

verbo

verbo ad verbum concordant, præter infrascripta errata ita corrigenda. Pag.24. lin.10. Nomen Episcopi ponatur superiùs ante subscriptionem Notarij. Pag.26. lin.6. Malemque, lege Matremque, pag.48. lin. 33. appellaret X.? lege appellaret ?. Pag.63.lin.36. à Canione, lege à Lanione. Pag.70. lin. 14. non non fuit, lege non fuit. In quorum fidem præsentes manu mea subscripsi, & sigillo dicti Domini mei Eminentissimi, & Reuerendissimi Cardinalis muniui. Hac die 21. Agusti 1704.

Ita est Nicolaus Antonius Cuggiò Secretarius.

Loco ✠ sigilli.

RESPONSIO
AD LIBROS NUPER EDITOS

Sub nomine Illustriss. DD. Episcoporum Rosaliensis & Cononensis super controversiis Sinensibus

OBLATA

Sanctissimo Domino Nostro

CLEMENTI PP. XI.

A Patribus

FRANCISCO NOEL, ET GASPARO CASTNER
Societatis JESU

Missionariis & Procuratoribus Sinarum

MENSE SEPTEMBRE 1704.

RESPONSIO
AD LIBRUM OBSERVATIONUM Illuſtriſs. D. Epiſcopi Roſalienſis

NOTÆ

In folia annexa Obſervationibus Illuſtriſ. D. Roſalienſis.

1 CUM à Sac. Cong. habita coram SS. die 17. Januarii hujus anni 1704. juſſi fuiſſent Adverſarii reſpondere primo noſtro Memoriali, ac Summario, quod anno prętcrito Suę Sanctitati, eidemque Sac. Cong. exhibueramus; conſtat illos non parùm tergiverſatos fuiſſe, obtendentes ſcilicet, ſicut & antea paſſim ſparſerant, cauſam Sinicam jam eſſe deciſam, neque oportere illam iterum in examen revocari; qui loquendi modus, præterquam quod illos de cauſæ ſuę bonitate diffidere ſatis oſtendit, non videtur cæteris eorum dictis, factiſque admodum reſpondere.

2 Nam Illuſtriſs. D. Maygrot in epiſtola ſcripta anno 1693. ad Sacram Congregationem, quę habetur in Hiſtoria cultus Sinenſium pag. 400. ex duobus, quæ enixè poſtulabat ab eadem Sac. Cong., primum erat, ut eadem juberet cauſam iſtam diſcuti coram utriuſque Patris
,, Miſſionariis: Imò Romam, inquit, ſi Sacra Congregatio juſſerit,
,, & per ſanitatem licuerit, ire cum aliquo ſocio paratus ſum, aut fa-
,, ciam, ut duo è noſtris Miſſionariis; qui plenam rei notitiam habeant,
,, Romam ſe conferant. Unus enim in negotio tanti momenti non ſuf-
,, ficit. At velim, ne priùs proficiſcamur. quàm Patres Societatis
,, profecti ſint, aliàs iter inutile ſuſciperemus.

3 Jamverò Adverſarii conditionem recuſare volebant, quam ipſimet propoſuerant, tanquam maximè neceſſariam ad rectè conficiendum *tanti momenti negotium*: & ut tantum ab extremo Oriente uſque ad Urbem iter prorſus inutile redderent, exiſtentibus jam tandem Romæ utriuſque Partis Miſſionariis, negabant, cauſam iſtam ampliùs diſcuti, atque examinari debere.

4 Hac autem in re ſatis mirari non poſſumus; iſtos Dominos in oculis Romanæ Curiæ, atque adeò totius Mundi in ſuis nuper editis obſervationibus ſemel iterumque aſſerere, conditum jam fuiſſe de his controverſiis à Sac. Congregatione decretum (quod tamen & ſi verum eſſet, ipſis certè minimè licuiſſet arcana Sac. Cong. Conſilia publicare) ac inſuper velle hoc aſſertum decretum adeò ratum firmum-

que haberi, ut nullis novis, quantumvis magnis, & efficacibus documentis queat immutari, cùm tamen iidem non dubitaverint in China novum mandatum edere, ad abolendum Summi Pontificis Alexandri VII. decretum, tanta olim deliberatione confectum, tam Solemniter publicatum, & tot annorum spatio unanimi ferè omnium Missionariorum, & Neophytorum observantia confirmatum.

5 Convenientius utique fuisset, ut DD. Adversarii sibimetipsis potius
r applicassent eorundem SS. Canonum doctrinam, quam aliàs non semel adversus Alexandri VII. decretum tanquam subreptitium protulerant, ac præsertim illa D. Augustini ex lib.2. de Baptismo cap.3.
„ verba: *Ipsaque plenaria* (Concilia) sæpe priora posterioribus emen-
„ dari, cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat,
„ & cognoscitur quod latebat.

6 Et quidem cùm ante nostrum in Urbem adventum nulli pro hac causa Romæ adfuerint è nostra Societate Sinicæ Missionis Procuratores, nullus item Procurator Episcoporum Chinæ; minùs æquitati consonum videri poterat, tanti momenti causam decidi, aut pro decisa eandem haberi velle, antequam Præsules, ac præsertim Episcopi Chinæ ordinarii, aut alii Missionarii Sinenses auditi fuissent, eamque decisionem in sola partis adversæ informatione fundari, quę anno 1699. pro fundamento hujus causæ Sacræ Congregationi proposita fuerat.

7 Nam hujusmodi informatio statim, ac in Sinas perlata est, ingenti planè stupore, ac dolore plerosque illius Imperii Missionarios affecit, permovitque quatuor eorum locorum Episcopos, ut nos Procuratores suos constituerent, cum mandato, ut contra falsas hujusmodi informationes coram Sancta Sede illorum nomine protestaremur, simulque ut eidem Sanctæ Sedi Synceram, puramque factorum veritatem proponeremus.

8 Porrò quàm parùm fidendum sit iis omnibus, quæ hactenus ex adverso exposita sunt circa præsentes controversias, tum ex latè deductis in utroque nostro memoriali, ac Summario abundè constat, tum etiam colligi potest ex ipsis duobus libellis, quos post plurium mensium tergiversationem pro responso ad priora scripta nostra adversarii tandem publicarunt.

9 Alter ex illis libellis, qui Illustriss. D. de Lyonne Episcopi Rosaliensis nomen præsefert, continet observationes in declarationem Sinici Imperatoris editam anno 1700.; alter verò libellus ab Illustriss. D. Maygrot conscriptus continet observationes in brevem Relationem PP. Pekinensium, quæ habetur in fine primi nostri Summarii. Tamen cùm idem Illustriss. D. Maygrot in principio opusculi sui p. 1. & 2. circa medium se quoque Authorem observationum in Imperatoris declarationem fateatur, videtur Illustriss. Rosaliensis huic libello nomen suum commodasse, ut aliquid Romæ à se recenter compositum, quod ad causam faceret, proferre putaretur.

10 In his libellis isti Domini in unum colligunt, & quasi nova reponunt ea, quæ sparsim in aliis libris jampridem nostris Patribus objecta, ab iisdem sæpius in suis scriptis, ac libris impressis refutata, & omnino disiecta fuerant.

11 Ad pleraque verò illa, quæ anno Superiore exposuimus, testimonia vel nihil omnino respondent, vel non aliter respondent, quàm contraria quædam testimonia, eaque ut plurimum incerta opponendo, quod non est difficultatem solvere, sed causæ hujus exitum magis implexum, & quasi inextricabilem reddere.

12 Cæterùm ex ingenti textuum Sinicorum copia, quam coacervant, multi nihil faciunt ad rem, plures autem alii vel mutili, vel corrupti, vel perperam expositi afferuntur. Id prope incredibile videatur, nisi rem ipsam, oculis subjecturi Simus. Præterquamquod, cùm hujusmodi falsas, vel adulterinas allegationes etiam textuum latinorum, vel in uno adversæ partis Italico libello tam multos Patres nostri detexerint, ut plusquam centum recensuerint in brevi earum Catalogo impresso anno 1702. minùs utique mirandum est, similem in Sinicis textibus, de quibus perpauci judicare possunt, referendis, licentiam ab adversariis usurpatam fuisse.

13 Optandum certè fuisset, ut observationum Authores eandem methodum, formamque legalem sequerentur, quam nos expresso SS. D. N. mandato tenuimus, utpote ad inveniendam veritatem, & ad fallacias evitandas maximè accommodatam. Sic enim minùs iisdem liberum fuisset, extra lineam vagari, ac præsertim extra terminos decreti Alexandri VII. de iisdem ritibus editi anno 1656., de quorum scilicet usu, ac permissione nunc controvertitur; quodque proinde decretum præ oculis semper habendum esset in harum controversiarum examine, nusquam tamen illud Domini Adversarii in suis libris vel nominare dignantur.

14 Sed priusquam horum librorum observationibus, morosam plerumque textuum Sinicorum farraginem continentibus, singillatim respondeamus, operę pretium videtur, foliis quibusdam sine certo numero, ac ordine positis ad calcem observationum Illustrifs. D. Rosaliensis, & materiam primi nostri Summarii, ac memorialis propius attingentibus, breviter respondere, ut fides, & authoritas testimoniorum, quæ in illis scriptis pro nostra sententia afferebantur, ab iniustis adversariorum exceptionibus, vel potiùs calumniis vindicetur.

15 In primo itaque Summario toto numero primo plures Episcopos, ac Vicarios Apostolicos pro nobis adduximus, nempe tres Episcopos Chinæ Ordinarios, Macaensem, Nankinensem, & Pekinensem, simulque Illustrif. D. Alvarum de Benevente Episcopum Ascalonensem, & Rev. P. Carolum Turcotti electum Episcopum Andrevillensem.

16 Ex his Pekinensem nobis favere negat observationum Author in folio

lio

lio brevium notarum; Andrevillensem verò ex numero Episcoporum expungit. Tamen quòd in eo numero censendus sit Reverendissimus P. Turcotti, nihil opus esse videtur hic Romæ, & ante Apostolicam Sedem comprobare. De contraria verò nostræ praxi Illustriss. Episcopi Pekinensis sententia tunc adversariis credi poterit, cùm vel ea, quæ nos de illo attulimus documenta, falsa esse ostendent, vel ipsi ad ostendendum oppositum certiora proferent.

17 Reliquos verò tres Illustriss. Præsules Author observationum omnes ut testes minùs idoneos repellit, vel tanquam linguæ, ac doctrinæ Sinicæ minùs peritos, vel tanquam Jesuitarum partibus, ac sententiis nimis addictos, & spe aliqua, vel timore, aut alia prava affectione corruptos. Nimirum hæc est Solemnis Adversariorum exceptio, vel potiùs iniqua accusatio adversus omnes illos, quos societati quomodocumque favere cognoverint. Id ipsum olim Illustrissimo D.Fr.Gregorio Lopez ex Sacro Prædicatorum Ordine contigisse narrat R. P. Fr. Joannes Serrano in primo summario n.2. litt. Q. pag.26. circa medium, quem jussum à suis Prælatis examinare materiam de Confucio, Avis, ac Tabellis, ac postea dicere suam
„ sententiam, cùm id fecisset, *nihil aliud retulisse* (dicit) ex suis la-
„ boriosis studiis, quam ut haberetur Idiota, & quare? quia secun-
„ dum Deum, & suam conscientiam dixit id, quod sentiebat, & non
„ dixit id, quod Sectatores contrariæ opinionis volebant.

18 Sedenim licèt isti Præsules linguam sinicam penitus ignorarent, quod tamen non sine gravi injuria pro libitu de illis asseritur; An non saltem, ut muneri suo, & pastorali sollicitudini satisfacerent, curare debuerunt, ut aliunde de his rebus informarentur; præcipuè cùm hoc illis non admodum difficile esset, utpote qui in facie loci morantes potuere. & alios Missionarios consulere, & ipsos Sinas per fideles Interpretes interrogare. Profectò si ad certum, ratumque judicium de his rebus ferendum opus esset linguam Sinicam probè callere, frustra Romam ad Sac. Congregationem, & ad S. Sedis Tribunal recurrissent isti Domini, cæterique Missionarii.

19 Præterquamquod ipsi horum Rituum Accusatores, non solùm assertione propria, sed aliis authenticis documentis priùs manifestum facere debuissent, se solos adeò versatos, & doctos esse in lingua, libris, & ritibus Sinicis, ut solis ipsorum assertionibus, & interpretationibus fides habenda sit, reclamantibus, & contrarium testantibus tot Episcopis, Vicariis, Missionariis, & insuper tot Sinensibus Litteratis tum Christianis, tum Infidelibus,

20 Accedit, quòd illi Illustriss. Præsules non solùm de vera Sinarum doctrina, ac de Sinensium Rituum veris qualitatibus, & circumstantiis; sed etiam de communi Missionarium Sinensium praxi, aliisque de rebus magni momenti testantur, & protestantur, de quibus hactenus S. Sedes perperam informata fuerat, & ad quarum veritatem cognoscendam non tam scientiâ Sinicâ, quàm oculis opus est, cum Zelo,

ac

ac diligentia, cæteroquin Muneri ipsorum omnino necessaria.

21 Præterea quo argumento probat Illustrissimus Rosaliensis, aut se aliis persuasurum sperat, Illustrissimum Episcopum Nankinensem, qui tot annos in China vixit, quique in ipsa Pekinensi Curia diu versatus est, à Magnatibus Chinæ, atque etiam ab Imperatore Summopere æstimatus, linguæ nihilominus, & rerum Sinicarum ignarum esse?

22 Dicteriis autem, & Contumeliis, quibus Observationum Author perpetuò insectatur Illustrissimum Episcopum Ascalonensem, quia „ scilicet secundùm Deum, & suam conscientiam dixit id, quod sen- „ tiebat, & non dixit id, quod Autor observationum volebat; & quia satis constabat, quantum ponderis haberet tanti Præsulis authoritas, non opus est respondere; cùm eximia illius virtus, & sapientia non solùm in universa Missione Sinica, & in sua Augustiniana Religione, sed etiam in Romana Curia magis nota sit, quàm ut possit convitiis, & variis narratiunculis Adversariorum obscurari.

23 Quantum verò studii, ac laboris per aliquot annos impenderit in lingua, ac doctrina Sinica addiscenda, & in his præcipuè controversiis examinandis, ipse satis declarat in sua ad Sac. Congregationem epistolâ ante duos annos impressâ. Frivolum verò est, quod ait Dominus Rosaliensis, eo tempore, quo Dominus Ascalonensis valetudinis causa Manilæ commoratus est, eorum, quæ priùs in China didicerat, oblitum fuisse; cùm tamen idem Dominus Rosaliensis in epistola sua, & Auctor Apol. Dom. pag. 166. contendat, R.P. Joannem Baptistam de Morales, antequam Chinam ingrederetur, jam Manilæ linguam Sinicam perfectè didicisse.

24 Præterea, ut observationum Author probet Illustrissimi de Benevente in Sinica doctrina imperitiam, refert, illum quibusdam propositionibus eidem à se oblatis de materia præsentium controversiarum, noluisse ex tempore, uti rogatus fuerat, subscribere, ac deinde post aliquot menses ita demum respondisse, ut suam hoc ipso imperitiam magis ostenderet. Verùm ex iis, quæ paulò pòst discutientur, satis apparebit, utrum responsiones Domini Ascalonensis, an reprehensiones ipsæ Domini Rosaliensis justiùs inscitiæ redargui mereantur. Certè veritas responsionum Domini Ascalonensis innumeris, quæ in secundo nostro Summario referuntur, ipsorum Sinarum testimoniis confirmatur. Imò etiam ex hoc ipso Domini Rosaliensis scripto colligitur, quàm prudenter D.Ascalonẽsis detrectaverit illi ex tempore responsum dare; cùm videret, hoc peti, non ad indagandam veritatem, sed ut ansa carpendi, & cavillandi haberetur.

25 Quantùm autem ad probabilisimum, quem Observ. Author sæpius objicit Domino Ascalonensi; hic in superiùs memorata epistola ad Sac. Congregationem satis declarat, quam in hac re ipse regulam sequatur, dum ita scribit: *Sententia asserens cultum prædictum* (circa Confucium, ac mortuos) *esse Civilem, & politicum ex sua Institutione,*

„ *tione*, & *communi consensu*, *visa fuit mihi*, *sicut multis aliis*, *proba-*
„ *bilior*, & *tutior*, *expressiorque opposita in antiquis libris*, & *autho-*
ribus. Imò quàm validis, certisque fundamentis illa nitatur, ex novis, quæ nuper attulimus, Sinensium documentis satis apparet.

26 Nec majoris momenti sunt, quæ ad infirmanda hujus Illustrissimi Domini testimonia circa praxim RR. PP. Augustinianorum opponit Author Observat. Conquestus fuerat Illustrissimus Dominus Ascalonensis in Summario prioris anni n. 1. pag. 14. contra D. Charmot,
„ *quòd non dubitaverit ad S. Apostolicam Sedem referre*, *se nominatim*,
„ & *cæteros Augustinianos jamdudum in China Confucii*, & *Avorum*
„ *cultum Neophytis prohibuisse*. *Ingentem hanc* (inquit) *imposturam*
„ *non credidissem*, *nisi ex ejus libro constaret*; *pœnitebit tamen*, *quia ego*,
„ & *Augustiniani oppositum esse verum Sanctæ Sedi demonstrabimus*.
Similia etiam scribit in dicto Summario pag. 9. post medium, & pag. 12. in principio.

27 His Author Observ. opponit tres epistolas à P. Nicolao Ribera scriptas ad D. Joannem Basset, subdens: *Ex his epistolis Lector facilè intelliget quisnam magis dicendus sit imposturam Sedi Apostolicæ retulisse*. Verùm potius injuriam ille facit Eminentissimis Judicibus, quos confidat tam levibus argumentis permovendos esse; majoremque fidem habituros privatis unius simplicis Missionarii, iisque parum certis litteris, quàm publico gravissimi Præsulis testimonio, tum suo, tum aliorum PP. Augustinianorum nomine ad S. Sedem conscripto.

Verissima autem esse illa omnia, quæ de suo, aliorumque PP. Augustinianorum praxi testificatur Illustrissimus Ascalonensis, simulque parum fidendum esse hujusmodi privatis, & incertis aliquorum literis, quæ tamen plerumque sunt præcipua adversariorum fundamenta, manifesto etiam evincitur ex publica declaratione RR. PP. Augustinianorum, quam dederunt, & proprio nomine subscripserunt R. P. Fr. Thomas Ortiz Vicarius Provincialis, & R. P. Fr. Michael Rubio, ut in primo nostro Summario n. 3. lit. BB. pag. 42. Nunc nihilominus P. Rubium contrariam praxim secutum fuisse Pater de Ribera iis literis refert.

28 Eidem autem RR. PP. Augustinianorum declarationi omnino concordat testimonium R. P. Fr. Augustini à S. Paschali, de quo in primo Summario n. 2. lit. T. pag. 33., ubi clarè testatur: *Omnes Religiosos Ordinis Eremitarum S. Augustini esse unanimes pro se* (hoc est
„ pro praxi Patrum Societatis Jesu) & *nominatim P. Fr. Alvarum de*
„ *Benevente*, *P. Fr. Michaelem Rubium*, *ipsumque P. Fr. Joannem de*
„ *Ribera*.

29 Manet itaque integra, & inconcussa authoritas Episcoporum, quos pro sententia, praxique Societatis adduximus. His autem quinque Episcopis Vicarios aliquot Apostolicos opponit Illustrissimus Rosa-
„ liensis; ac inter eos P. Basilium à Glemona, quem miratur, quod
„ PP. Societatis pro se allegaverint, cum probè norint (ait) illum in

„ hac

„ hac causa ab eorum sententia longè alienum esse. Nos certè illum à communi totius Sinicæ Missionis praxi adeò alienum fuisse, usque ad nostrum ex China discessum nunquam cognovimus. Unicum verò locum in priori nostro Summario n. 8. lit. LLL. pag. 77. citavimus ex Sinico ejusdem dictionario, ubi explicans litteram *Tien*, ait: *Tien*
„ *Cœlum tam pro materiali, quàm pro ibi habitantibus, Cœli moderator Deus*. Hanc citationem cùm falsi arguere non possit Observationum Author, tantùm respondet, Patrem de Glemona hac in parte dictionarium illud suum postea correxisse, aliter explicando vocem illam *Tien* Sic: *Cœlum, Cœli Virtus, Seu Ly*. De hac tamen, quæ asseritur illius dictionarii correctione, nihil in China audivimus; Imò ipse R. P. Joannes Fernandez Serrano ex eodem Ordine S.Francisci, referens hunc ipsum ex dictionario Patris de Glemona locum numero superiùs citato, de ejusmodi correctione nullam omnino mentionem facit.

30 Deinde refert Author Observationum, quòd R.P. Basilius à Glemona nonaginta duas propositiones, quas eidem tanquam certas, & evidentes ipse Author exhibuerat, tales etiam sibi videri, opposita singulis subscriptione, declaraverit; & insuper ad commendandam scientiam ejus Sinicam narrat, quòd statim è vestigio eisdem subscripsit, quin tempus ullum ad deliberandum sumeret.

31 Verùm cùm præfatæ 92. propositiones, præter tres, vel quatuor, nullam probationem præseferant, sed supponantur, dicendo: *evidens est*; cùmque plurimæ ex illis contineant materias particulares, hominibus Europæis, atque ipsis Sinensibus satis obscuras, & admodum controversas, prout etiam indicat Illustrissimus Ascalonensis in sæpius laudata ad Sac. Congregationem epistola, judicium tam præcipitanter datum de *evidentia* illarum propositionum non multum conferre videtur ad augendam præfati Patris authoritatem, vel ad earum propositionum veritatem comprobandam.

32 Et sanè, qua ratione ductus approbare potuit prætensus R. P. Glemona, propositionem 63. (ut hunc unum ex multis suppositi Approbatoris errorem hîc obiter adnotemus) in qua citatur liber *Liki* ad comprobandam erectionem, & quasi consecrationem Tabellæ defunctorum, quam Author Propositionum per Sacrificium *Tu* fieri dicebat, offerendum eo ipso die, quo Cadaver humatur; & tamen textus ibi adductus ex libro *Liki* clarissimè loquitur non de tabellis ligneis erigendis, sed de Puello, qui ex antiquo more loco defuncti ad eundem repræsentandum substituebatur: Si R. P. Glemona diligentius considerasset propositionem hanc Illustrissimi Rosaliensis, omnesque illius circumstantias, nunquam cum eodem tam facilè errasset, ut vivum Puellum acciperet pro lignea Tabella.

33 Præterea mirùm sanè illud est, quòd prætensus R.P. de Glemona etiam post factum hunc cum Illustrissimo Rosaliensi congressum, ritus Sinicos, quos evidenter illicitos, & idololatricos esse sua sub-

ſcriptione teſtatus eſſet, nihilominus in ſua Provincia *Xen ſi* permiſerit, ut oſtendimus in prioris anni Summario, tum alibi, tum pag. 23. poſt medium, & aliunde etiam Sacra Congregatio de Propaganda Fide compertum habere poteſt; qua certè in re non jam ſententiam probabilem, ſed evidenter ſibi falſam in praxi ſequutus eſſet; quod quis de tali Viro ſibi perſuaſerit?

34 Deinde Obſervationum Author præter Illuſtriſſimum Beritenſem ex Ordine S. Franciſci, de quo frequenter alibi dictum eſt, citat P. Petrum de Alcala ex Ordine S. Dominici; de quo tamen videri poteſt primum noſtrum Summarium n. 2. lit. I. pag. 33., illudque exploratum eſt, nihil ab eo in ſuo vicariatu huc uſque circa hos ritus immutatum fuiſſe. Primo autem loco allegat Illuſtriſſimum Cononenſem, tum Dominum Philibertum Le Blanc, ac demum ſe ipſum Vicarium Apoſtolicum Provinciæ *Suchuen*.

35 Sed cùm Illuſtriſſimus Dominus Roſalienſis præcipuè ſe ipſum, ſuoſque ex Seminario Pariſienſi Collegas appellet; qua æquitate ab illo reiicitur Illuſtriſſimus Nankinenſis, quia Jeſuita eſt? & qua de cauſa non & nobis liceat ducentos, & ampliùs Societatis Miſſionarios pariter afferre, Viros, & in Litteratura Europæa, & in Sinica abundè probatos, & quorum eruditionis plurima extant monumenta?

36 Quamvis autem horum Rituum Oppugnatores ſe ſolos credi velint puriſſimum Religionis Zelum, & animum ab omni humana affectione liberum habere, contrarium tamen ſatis oſtendunt ipſa eorum ſcripta, hactenus per univerſam Europam diſperſa, ac nominatim duo iſti Obſervationum libelli, tanta acerbitate adverſus Societatis Miſſionarios referti.

37 Neque verò novum, aut mirum nobis accidit, quòd iſti Domini tanto cum contemptu paſſim de Societate loquantur. Miramur potiùs, quòd unum laudent Patrem Viſdelou, eumque à cæteris diſſentire ſibi compertum eſſe dicant, quod tamen nullo documento allato ab ipſis probatur, aut probari poteſt; quin potiùs ſcimus, Patrem Viſdelou validè non ſemel reſtitiſſe Illuſtriſſimo Roſalienſi, optimiſque argumentis oſtendiſſe, illum minùs eſſe hujus materiæ peritum.

38 Quod attinet ad alios variorum Ordinum Miſſionarios, quos pro nobis in primo noſtro Summario allegavimus, Illuſtriſſimus Dominus Roſalienſis univerſos contemnit, ac reiicit, præter unum P. Fr. Auguſtinum à S. Paſchali, cujus quidem authoritate fidentiùs utitur contra nos; quia dicit, illum à nobis in novum hujus Cauſæ Patronum adoptatum fuiſſe. Sed nos Patrem à S. Paſchali non ut Patronum, ſed ut teſtem pro nobis adduximus, & quidem ut teſtem minimè ſuſpectum, dum pro cauſa noſtra loquitur, neque recuſandum ab Adverſariis, vel eo ipſe nomine, quòd ab iiſdem prædictus Pater, ut ſententiæ Societatis circa hos ritus omninò contrarius afferebatur.

Cæte-

39 Cæterùm Illustrissimus Rosaliensis non ignorabat, quàm fortiter adversus ipsum pugnaverit R. P. à S. Paschali in præcipuis harum controversiarum punctis, ac potissimùm circa mortuorum tabellas, quas Domini Adversarii verissimum esse Idolum Sinicum passim clamitabant, & nihilominus eas, etiam cum insciptione illa *Xin guei*. non modò ab Idololatria, sed ab omni quoque superstitione penitus immunes esse idem P. à S. Pascali ex professo, & fusè in suis sciptis probat; quorum scriptorum aliquot particulæ in nostro prinio Summario sub num. 2. litt. S. T. V. & X. allatæ sunt. Ubi & advertendum videtur, hunc eundem Patrem primis Missionis suæ annis, sinistra aliquorum informatione deceptum, has easdem tabellas acriter persecutum fuisse; adeò, ut in libro Baptismali annotaret numerum earum tabellarum, quas ipse destruxisset, tanquam totidem adversus Idololatriam à se relatas victorias; postea verò meliùs edoctum illas acerrimè defensisse, in eaque sententia constantissimè perseverasse, ut ipse de se testatur in epistola ad D. Abbatem de Lyonne. Quòd si aliquando idem Pater à S. Pascali opposita scripsisse invenitur, id fortè mirum non est, cùm ex modò dictis appareat, illum in multis sententiam mutasse. Deinde viderint illi, qui priores hujus Patris authoritate contra nos usi sunt, quomodo hæc ejus contraria dicta concilient.

40 Id denique, in quo nos præcipuè auctoritate prædicti Patris à S. Paschali, ut minimè dubia utimur, est communis illa omnium in China Missionariorum circa hos ritus permittendos praxis, quæ ut notoria omnibus est, qui Missiones ibi obiere, ita à prædicto Patre per exactam enumerationem variorum Missionariorum ex omnibus Ordinibus ostenditur tum aliis in locis, tum imptimis sub n. 2. primi Summarii lit. T. pag. 32. & 33. Idque à nobis etiam pluribus aliis documentis ostensum fuit in eodem primo Summario locis indicatis in memoriali eidem adjuncto à n. 58. usque ad 69.

41 Hanc verò communem omnium Missionariorum praxim, tanquam rem omnino certam, & contestatam in China, cùm Illustrissimus Rosaliensis directè negare non possit, ut aliquod de ea dubium saltem in Europa moveat, duas PP. Franciscanorum epistolas opponit; quasi talium duarum epistolarum qualiscumque authoritas tot gravissimis, authenticis, ac irrefragabilibus testimoniis, & communi, qui omnium oculis in China objicitur, usui prævalere deberet. Prima ex his epistolis dicitur esse P. Fr. Bonaventuræ de Ybannes, quæ cum scripta sit anno 1682., antiquior tamen est, quàm ut quidquam conferre queat ad quæstionem de recentiori Missionariorum Sinensium praxi, præsertim cùm ex omni numero Missionariorum S. Francisci pars major nonnisi post annum 1682. Chinam ingressa fuerit. Insuper ad hanc Patris Ybannes epistolam, cùm jam olim eam Author Observationum R. P. à S. Paschali objecisset, sic ille respondit à nobis citatus in Summario prioris anni n. 2. lit. S. pag. 29. *Cum sua*

„ *rerum confusione probat solùm suam malam fidem, & affert epistolam*
„ *Patris Thannes, idest, praxim, quam dixi, & quòd non admiserit ta-*
„ *bellas Pater de Conceptione. HÆC OMNIA SUNT CHIME-*
„ *RÆ*. Ex qua Patris à S. Paschali responsione colligere licet, quodnam in præfata epistola fundamentum poni possit.

42 Altera epistola est R. P. Jacobi Tarrin scripta ad eundem Illustrissimum Dominum Rosaliensem, priusquam hic è China discederet, continens gravem querimoniam, atque adeò protestationem contra RR. PP. Augustinianos, eò quòd isti in 3. capite suæ attestationis re-
„ sponderint: *Religiosos Sancti Francisci fere omnes, & alios aliarum*
„ *Religionum omnes convenire in sequenda praxi Societatis circa cultum*
„ *Confucii, & mortuorum*. Verùm quàm inanis sit hæc R. P. Tarrin protestatio, vel ex eo constare potest, quòd quamvis Illustrissimus Rosaliensis illam habere debeat, ut ex epistola Patris Tarin, quam ponit in fine sui libelli, indicatur; eam tamen in publicum producere neutiquam voluerit, satis advertens, quàm parùm sibi faveret. Præterea ipse R. P. Tarin eodem tempore, quo hanc scripsisse epistolam supponitur, praxes illas sua manu descriptas, atque subscriptas, inter suos Religiosos, ut ab eis servarentur, distribuit, quas nos in summario nostro prioris anni pag. 39. retulimus. Quare cum hanc R. P. Tarrin querimoniam rescivisset R. P. Thomas Hortiz V. Provincialis Augustinianorum in China, ad R. D. Carolum Turcottum in sua epistola data 23. Decembris 1701., quam hîc originalem habemus, & authenticatam à R. P. Michaele Rubio ejusdem Ordinis Notario Apostolico, scribit, se de hac re summopere miratum fuisse:
„ *Id quod* (inquit) *magnæ admirationis occasio mihi fuit, præcipuè, cùm*
„ *considerarem, quòd dictus R. P. cum R. P. Fr. Joseph Navarro, qui*
„ *pariter tantum conqueritur, sint primi, de quibus potest verificari*
„ *meum responsum &c.*

Similia ferè scripsit ad eundem Rev. D. Turcottum Illustrissimus Ascalonensis in epistola data ex Nangan 27. Decembris 1701. quam Originalem hîc habemus.

43 Ex ea porrò communi Missionariorum Sinensium praxi, tot testimoniis comprobata, evidenter colligitur, falsum omnino esse, quod hactenus Sanctæ Sedi propositum fuit, ac per universam Europam innumeris libris, scriptisque jactatum, nempe illam esse praxim solius societatis propriam, nostrosque Patres in his ritibus permittendis tum Episcopis, & Vicariis Apostolicis Chinæ, tum omnibus aliorum Ordinum Missionariis contrarios esse, cùm hos, de quibus agitur, ritus non solùm in *casibus quibusdam extraordinariis*, ut aliàs scripsit Dominus Charmot, sed usu frequenti, ac pene quotidiano, nec verò tantùm ante decretum Illustrimi D. Maygrot, sed etiam postquam illud publicatum fuit, nec in aliis tantùm Provinciis, sed in ipso Reverendissimi Maygrot Vicariatu passim permissos fuisse omnino constet.

44 Quis

44 Quis autem credat, tot viros graves, & religiosos, Theologiæ peritos, nec doctrinæ Sinicæ prorsus ignaros, tam facilè permissuros fuisse hujusmodi ritus, si vel decima, aut vigesima pars vera esset eorum, quæ tanquam manifesta, & notoria contra illos ab adversariis hìc Romæ jactantur?

45 Notandum insuper, istorum Dominorum doctrinam esse, in hisce rebus, quæ Religionem spectant, nullam ignorantiam, ac bonam fidem excusare, teste Domino Charmot eorum Procuratore in scripto exhibito Sacræ Congregationi, & impresso in Hist. Cult. Sinens. pag.III. nu.171. ubi loquens de Neophytis Jesuitarum: *quia tamen*,
„ inquit, *Confucii*, *&* *Progenitorum cultus*, quos frequentant, re
„ vera superstitione, & Idolatria infecti sunt, quamvis errando, de
„ iis, secùs judicent, ab idololatriæ peccato non eximuntur; neque
„ eos ignorantiæ excusatio juvare potest, præsertim post adventum
„ Missionariorum ex Ordinibus S. Dominici, S. Francisci, & S. Au-
„ gustini, nec non Gallorum Missionariorum, ac Vicariorum Apo-
„ stolicorum, qui hos cultus Christianis suis interdixerunt. Ac postea
„ subdit: Unde Reverendiss. Maygrot jure eos accusare potuit, &
„ scribere ad Summum Pontificem: Meritò dubitari posse, an qui sunt
„ in China Christiani, iidem fere omnes non sint Idololatræ. His tamen omnibus indiscriminatim Sacramenta administrare etiam Illustriss. D. Rosaliensis, & Canonensis non dubitarunt, ut ostendimus in primo nostro superioris anni memoriali n.64. Quis ergo hæc tantum inter se *pugnantia componere valeat?*

46 Certè ex his, quæ dicta sunt, satis clarè deduci videtur, verissimum id esse, quod R. P. à S. Paschali, quamvis doctrinæ societatis de ritibus Sinicis aliqua in parte adversarius fuisse dicatur, nihilominus scripsit ultimo Missionis suæ anno, prout videri potest in pri-
„ mo nostro summario n.2. litt. I. pag.38. circa finem: Crede mihi ex-
„ perto, quod non omnes quæstiones, quæ tractantur, sunt tam fædæ hìc (in China scilicet) *quàm pinguntur ibi* (scilicet extra Chinam).

47 Simili modo ex dictis refellitur id, quod Illustriss. D. Rosaliensis in his foliis brevium notarum ad imminuendam aliorum Missionariorum authoritatem asserit, nempe illos Missionarios secutos fuisse sententiam, ac praxim Jesuitarum, ideo solùm, quia eam probabilem judicarunt, atque inde infert, illos cum prava, ut ipse putat, fallacique probabilitatis regula innixi fuerint, nihil de eorum sententia praxique curandum esse.

48 Ad hæc autem imprimis respondemus, reliquos Missionarios ritus eosdem permisisse, quos ab ipsis Dominis Adversariis permissos fuisse constat, cùm tamen iidem se glorientur esse cujuscumque probabilitatis hostes acerrimos.

49 Deinde quidquid sit de probabilitatis regula in aliis materiis, tamen ubi agitur de vocibus, ac ceremoniis, quæ prorsus ab humanis institu-

ſtitutionibus, & uſibus pendent, ac præcipuè, quando talium vocum, ac ceremoniarum mutatio maximum, certiſſimumque afferret animarum periculum, & Chriſtianæ fidei prædicationi oſtium occluderet, in iſto ſaltem caſu tutius, atque etiam neceſſarium eſſe illud permittere, quod gravibus argumentis probatur omni culpa vacare, minimè dubium videtur; id enim expreſsè traditur, & commendatur Vicariis Apoſtolicis Indiarum in ſæpe alibi citata inſtructione Sacrę Congregationis de Propaganda Fide per illa verba:
„ nullum ſtudium ponite, nullaque ratione ſuadete illis populis, ut
„ ritus ſuos, conſuetudines, & mores mutent, modò ne ſint aper-
„ tiſſimè Religioni, *& bonis moribus contrarii*. Idemque colligitur ex ipſis Summorum Pontificium Innocentii X. & Alexandri VII. decretis in ſubiecta materia controverſiarum Sinenſium; nam in de-
„ creto Innocentii X. ad quæſitum 15. ita reſpondetur: Excluſis Sa-
„ crificiis, & Altari verè, & propriè dicto, cætera quæ redolent
„ tantumodo cultum civilem, aut poſſunt ad illum reduci, permitti
poſſe. In decreto verò Alexandri VII. ad quæſitum 3. hæc habentur:
„ Sac. Congregatio juxta ea, quæ Superiùs propoſita ſunt, cenſuit,
„ permittendas Sinenſibus Chriſtianis prænominatas Cæremonias, quia
„ videtur cultus eſſe mere civilis, & politicus. Ut hîc omittamus ea, quæ alibi etiam integro libello producta ſunt, exempla Apoſtolorum, ac Sanctiſsimorum Virorum, qui hanc ipſam regulam in ſimilibus circumſtantiis ſecuti ſunt.

50 Poſtremò, quidquid aliqui Miſsionarii olim dixerint de probabilitate ſententiæ; quam Societas ſequebatur, tamen hoc tempore eadem ſententia non tantùm probabilis, ſed certa videtur poſt ea, quæ in utroque noſtro Summario attulimus tanto numero, tantique ponderis documenta. Nam quæ major certitudo in quæſtione facti de Sinenſium præſenti doctrina, communique intentione, & conſuetudine in quibuſdam vocibus, ac ritibus uſurpandis expectari poterat, quàm quæ habetur ex authentica ipſius Imperatoris Chinæ declaratione, per totum Imperium Sinicum publicata, & ex conformibus eidem atteſtationibus Magnatum, & Litteratorum gentilium ipſius Aulæ Pekinenſis, productis ad calcem primi noſtri Summarii, ſimulque ex innumeris aliis teſtimoniis Sinenſium Litteratorum tum Chriſtianorum, tum gentilium, quæ in ſecundo noſtro Summario cumulatè referuntur. Profectò vel exigua harum probationum pars in quacumque alia cauſa moralem certitudinem factura fuiſſe videretur.

51 Hę verò probationes eò etiam validiores, atque efficaciores ſunt, quoniam ad eas proferendas ipſimet adverſarii nos antea provocarunt. Nam ad obtinendam in China, edendamque in hoc Judicio Imperatoris Sinici declarationem ipſi nobis authores fuerunt, verbis relatis in primo noſtro memoriali n.86. & 87. Deinde cùm PP. noſtri veteres Sinarum libros appellaſſent, ad probandum, Sinas per

hçc

hæc nomina *Xang Ti* ac *Tien* ſecundùm Sectę Litterarię veram, germanamque doctrinam intelligere non Cælum materiale, ſed ipſius Cæli Sapientiſsimum rectorem, ac Dominum, Illuſtriſs. D. Maygrot in declaratione ſui mandati reſpondit his verbis, quæ habentur
„ in Hiſt. cult. Sinenſ. pag. 357: Præterea cùm de alicujus vocis ſenſu in
„ quacumque linqua agitur; eo, ni fallor, accipienda eſt modo, quo
„ ipſa ætate, qua profertur, ab omnibus, vel pleriſque accipitur, li-
„ cet fortè antiquitus alium ſenſum habuerit. Quibus verbis hic Illuſtriſs. D. nos remiſit ad teſtimonium eorum, qui hac ipſa ætate vivunt, Sinenſium; quomodo enim ſcire poſſemus, quo ſenſu ab his omnibus, vel pleriſque eorum hæ voces acciperentur, niſi ex propriis ipſorum id teſtificantium verbis? Quare ſummopere mirandum eſt, DD. adverſarios modò hęc ipſa teſtimonia tum Imperatoris Sinici, tum aliorum Sinenſium aſpernari, ac reiicere, cùm ipſimet paulò ante hoc potiſsimum modo cauſam iſtam Sinicam dijudicandam eſſe indicaverint.

52 Denique prætereundum non eſt, quòd iſti DD. dum & Epiſcopos Chinæ nobiſcum ſentientes, & Miſsionarios aliorum Ordinum noſtram praxim ſequentes, atque adeò ipſos Sinas tum Chriſtianos, tum Gentiles factum à Nobis jam pridem aſſertum, inſertumque in decreto Alexandri VII. clarè teſtificantes, audiendos non eſſe, contendunt, ſatis declarant, ſe velle, ut in hac cauſa ſibi tantùm, ſuiſquè ſociis credatur, hoc eſt, ut credatur Solis Accuſatoribus. Nam & ſeſe Accuſatores eſſe, & nos pro reis habendos eſſe in hac cauſa, ipſimet jam palam profitentur: Quod tamen quam iniquum ſit, Sedes Apoſtolica judicabit.

APPENDIX.

53 CUm præcipua modò inter nos, ac iſtos Illuſtriſs. DD. controverſia in eo ſita ſit, qualis, & quanta auctoritas habenda ſit in hac cauſa Sinarum Teſtimoniis, ſimulque quantum ad hùjus cauſæ deciſionem conferat, præ oculis ſemper habere Summi Pontificis Alexandri VII. decretum, idcirco utrumque ex his punctis non tam noſtris verbis, quàm ipſorummet Epiſcoporum auctoritate, quos Adverſarii ſuperiori tempore ſæpiùs appellabant, hìc appendicis loco breviter declarare, operæ pretium ducimus.

54 Ad hunc igitur finem referemus aliquot ex plurimis, quas in hanc rem afferre poſſemus, ſententias, excerptas ex epiſtolis, quæ à pluribus quàm octoginta Epiſcopis Galliæ, & ab omnibus Epiſcopis Luſitaniæ ante biennium conſcriptæ, & SS. D. N. exhibitæ fuerunt, ut nihil modò dicamus de cæteris aliarum Regionum Epiſcopis.

61 Porrò quantum ad hujus cauſæ deciſionem neceſſaria credantur ipſorummet Sinenſium teſtimonia, in hunc modum declarat Illuſtriſſimus

unus D. de Mans, seu Cenomanensis in Gallia, sic scribens: 27. Septembris 1702. *Necesse est omnino, audire Testes Loci, qui non patiantur exceptionem, nam illi soli cognoscunt veritatem factorum, vim expressionum, significationem Vocum, & Idiomatis illius Regionis, substantiam ceremoniarum, finem, & motivum illorum, qui eas exercent.*

56 Illustriss. de Tarbes, seu Tarbensis hæc scribit: *Totus mundus clarè videt contrarietates, quæ inveniuntur in scripturis publicatis circa hanc famosam controversiam. Poteritne ergo Pontifex stare dictis Partium, quæ fere in nullo puncto controverso inter se conveniunt.*

57 Illustriss. de Cambray, seu Cameracensis in sua scripta 21. Septembris 1702. hæc habet. *Quid fieret, si postmodum evidenter constaret, per Testimonium uniforme, & decisivum totius Nationis Sinicæ, quæ explicaret suam propriam linguam, & suas proprias consuetudines, & suam intentionem, cultum, de quo disputatur, esse mere civilem, nec ibi quidquam, quod ad religionem spectat, intervenire? Quid fieret, si innotesceret, Papam nimia festinatione irritasse decretum unius ex suis Prædecessoribus: evertisse tot Ecclesias nascentes, infamasse sine ratione tot Sanctos Missionarios? Quid dicturi tunc essent impii, & heretici?*

58 Illustriss. de Rodes, seu Rodanensis in sua scripta 2. Octobris 1702. sic ait: *Nunc ergo supposito tali statu quæstionis, clarum est, quòd non possit illa decidi, nisi solùm per notitias, & authentica testimonia, quæ necessariò sunt procuranda ex China.*

59 Illustriss. de Apt, seu Aptensis in sua scripta 26. Septembris 1702. ita loquitur: *Meus sensus est, ex vi solarum relationum, quæ modò habentur, neutiquam esse in præsenti definiendum, Ceremonias Sinicas esse contrarias religioni, & quidquid contingat, mihi persuasum est, Papam non pronunciaturum, utrum vox* Tien *significet, aut Cœlum materiale solùm, aut Deum Cœli, quin aliunde exploratam habeat vim vocum Sinicarum.*

60 Idem Illustriss. D. in alia sua scripta 7. Octob. 1702. hæc habet: *Si dubitetur de intentione Sinarum, & si timeatur aliqua superstitio immixta his ritibus, habetur testimonium Imperatoris illarum Regionum, & simul Præstantiorum, & Peritiorum in suis Ceremoniis, unde mihi videtur, quòd illorum declaratio majorem fidem faciat in hoc puncto, quàm omnia, quæ possunt umquam dici à Partibus contrariis.*

61 Illustriss. de Auch, seu Alciacensis 23. Septembris 1702. sic scribit: *Nos expectamus cum submissione decisionem suæ Sanctitatis, & convenimus, quòd post decretum, quale est illud Alexandri VII., fieri nequeat, ut S. P. ulteriùs quid decernat super hoc negotio, antequam positivè informatus sit per notitias acceptas in ipso loco à Personis minimè suspectis.*

62 De eodem decreto Alexandri VII. Illustriss. de Auranche seu Abrincensis

censis in sua scripta 27. Semptembris 1702. ita loquitur : *Talis semper fuit mea sententia, ex quo agitatæ sunt istæ controversiæ, & talis fuit sententia multorum Episcoporum, Doctorum, & Piorum, & magni numeri piorum Ecclesiasticorum hujus Regni, adeò ut affirmari possit, quòd si sua Sanctitas decideret hanc controversiam ad pluralitatem votorum, dubium non sit, quin decretum Alexandri VII. renovaretur, & confirmaretur. Hoc est Testimonium, quod debeo meæ conscientiæ, & meis notitiis.*

63 Illustriss. de Die, seu Diensis in sua scripta 15. Octobris 1702. hæc habet : *Ego addam, me intoto decursu mei Officii Agentis Generalis Cleri hujus Regni habuisse frequentes occasiones conferendi circa hujusmodi materias cum Sanctioribus, & Sapientioribus Prælatis, & tamen syncerè protestor, me ne unum quidem audivisse, qui non respexerit hoc decretum Alexandri VII. nisi cum summa existimatione, & cum omni illà veneratione, quæ ei debetur. Quod ad me spectat, mihi persuasum est, hunc Sanctum Pontificem fuisse à Cœlo specialiter inspiratum, quando illud fecit, usque adeò mihi semper illud visum est necessarium, ad præcavendum damnum, quod Dæmon inferre volebat, invidus tantis progressibus, quos Societas procurat nascenti Ecclesiæ Sinicæ.*

64 Illustriss. de Alby, seu Albigensis 27. Septembris 1702. ita scribit : *Mihi persuasum est, quòd, si Decretum Clementis contrarium foret decreto Alexandri, Religio magnum adiret periculum, ne videret progressus in China, quos ibi hucusque fecit, deficere, & decrescere numerum illorum, qui eam sunt amplexi.*

65 Illustriss. de Apt, seu Aptensis in superius citata Epistola scripta 7. Octobris 1702. hæc habet : *Ex quo infero, esse artificium quoddam ad impediendam infallibilitatem Papæ, quia omnibus notum est, quale sit decretum Alexandri VII., quod declaravit in Judicio contradictorio, ceremonias, quas permittunt PP. Societatis in China, spectantes ad Confusium, & defunctos Progenitores, esse innocentes : At qui evidens est, quòd damnare nunc id, quod prædictus Papa aliàs approbavit, foret destruere infallibilitatem S. Sedis, cùm unus Papa non sit magis infallibilis Altero.*

66 Illustriss. de Laon, seu Laudunensis 18. Septemb. 1702. hæc scribit : *Ego nullo modo dubito, quin, postquam examinaverit exactè Decretum Pontificis Alexandri VII., quod fuit regula ceremoniarum observatarum in China; quo mediante, fides fecit tam magnos progressus in vasto illo Imperio, sua Sanctitas se æstimatura sit obligatam ad illud confirmandum, ne quidquam reluctantibus illis Personis, quæ non satagunt per hæc omnia ædificare Ecclesiam, sed infamare Societatem.*

67 Illustriss. de Conserans, seu Conserannensis 7. Octobris 1702. hæc scribit : *Mihi contigit, ut conferrem aliquoties cum aliquibus de meis Collegis super hac materia; verùm noster sensus longè alius erat, & quod ad me spectat, nunquam credidi, quòd esset aliquid mutandum,*

 circa

circa Decretum Alexandri VII. vel condemnandæ de Idolatria opiniones Missionariorum Sinensium.

68 Illustrissimus Lamecensis ex Lusitania in sua scripta 23. Novembris 1702. sic loquitur *Fortasse tolerabilius foret, si tantùm ageretur Causa Societatis. Verùm cum illa agitur causa salutis innumerabilium Animarum, & quod ferre non possum, causa honoris, & auctoritatis S. R. Sedis, cujus infallibilitati detrahere maximè intendunt non solum hæretici manifesti, sed hostes occulti, quorum virus eò nocentius est, quò occultius, & succo pietatis dissimulatum, Quid enim, aut æquale, aut majus non sperabunt Jansenistæ fieri posse circa decreta contra eos lata ab Alexandro Pontifice, si videant nutare ejus Sanctiones, damnarique, ut Gentiles eos ritus, quos ipse ut indifferentes tolerari posse decreverat?*

69 Illustriss. Ægitanus ex Lusitania in sua data 26. Novembris 1702. hæc habet: *Ex quibus uno verbo: Decretum edidit Alexander Summus Pontifex: Decretum edidit Vicarius quidam in Sina, ausus per id temporis illi se opponere. Pontifex permisit in suo decreto ritus Sinenses. Vicarius in suo prohibuit ritus Sinenses, nulla allata nova causa prohibendi: In hoc conflictu utrum duorum decretorum vincet? Prævalebit scilicet decretum Vicarii? stupent omnes, ac dolent:*

70 Porrò ista scripserunt hi Illustriss. Præsules, priusquam ullam notitiam habere potuerint tot novorum documentorum, quæ allata è China nos in nostro primo, & 2. Summario produximus. Quid ergo modò sentirent, ac scriberent, si viderent, quibus artibus, quantoque conatu Adversarii nostri contendunt, ut nulla tot tantorumque documentorum ratio habeatur, sed causa ista judicetur ex sola relatione anno 1699. apud bo: me: Eminentiss. D. Casanatta facta; Utque aboleatur Pontificium decretum anno 1656. editum, quin unquam ipsi probaverint, non fuisse veridica illa, quæ tunc temporis S. Sedi proposita fuere; Imò cùm à nobis efficaciter probatum fuerit, omnia illa facta, quibus tale decretum innitebatur, omnino subsistere.

NOTÆ

In Observationes ab Illustrissimo Domino Episcopo Rosaliensi in Regno Sinarum Vicario Apostolico oblatas Sanctissimo Domino Nostro Papæ CLEMENTI XI.

71 Scopus observationum Illustrissimi D. Rosaliensis est, declarationis editæ ab hodierno Imperatore Sinarum auctoritatem omnem infringere, adducendo in suspicionem, tum ejusdem declarationis substantiam, tum veram ejusdem sententiam, ac legitimam

mani interpretationem. Id autem fit levissimis dumtaxat argumentis, ac vanis conjecturis, quibus satis ostenditur, authorem hujus libelli non magis scientem esse styli, ac Consuetudinum Pekinensis Curiæ, quam veræ Sinensium Litteratorum doctrinæ: etsi, priusquam ista coram Sancta Sede proponeret, curare debuisset, ut ab harum rerum peritis plenius instrueretur. Eò verò potissimùm per moti videntur Adversarii ad hanc Regiã declarationem totis viribus oppugnandam, quia non ignorabant, quantum in illa ponderis esset ad firmandam sententiam, quam Jesuitæ tuentur, tum circa quarundam vocum Sinicarum significationem, tum circa factum, in Alexandri VII. decreto contentum: longeque aliter de eadem declaratione regia locuturi fuissent, si aliqua ex parte ipsorum sententiæ suffragari contigisset. Cœterùm quanti fecerint hoc ipsum Imperatoris decretum, & quàm aliter judicarint de vera ejus sententia, & interpretatione plerique Episcopi, & Missionarii Chinæ, ipsique Sinenses Christiani, atque Gentiles, pluribus ostensum est in utroque nostro Summario, & videri potest in locis indicatis in edito nuper memoriali n.67. & seq.

NOTÆ

In observationem unicam de forma, & authoritate Responsi ab IMPERATORE SINARUMDATI.

IN hoc numero Author observationum contendit, hoc Responsum non esse Edictum, nec Decretum. *ad num.* 1.

72 Quòd Responsum hoc sit verè Decretum Imperatoris, patet, quia & libellus supplex PP. Pekinensium fuit juridicè per Aulicos Imperatori oblatus; & responsum Imperatori in ea forma datum fuit, in qua Decreta regia ibi dari solent, intimando scilicet illud juridicè PP. Pekinensibus ex mandato Imperatoris per Ministros regios, quorum id officium est; idque in area interiori Palatii, coram multis præsentibus; ac mox unum exemplar per regios Ministros scriptum, traditum est nostris; alterùm verò inter Acta regia repositum, uti videri potest in primo nostro Summario pag.102. circa finem. Hac autem formâ Decreta regia in China fieri solent.

73 Deinde hoc decretum toto Imperio publicatum fuit, & ubiq; receptum, eo prorsus modo, quo cætera decreta regia ibi publicari solent. Id quod nec Pars adversa negat, uti videri potest in observationibus Illustriss. Cononensis pag. 124. in initio, pag. 126. in fine, & pag. 147. ante medium. Idque nos etiam ostendimus in nostro memoriali anni superioris num. 82., ac denuo constat ex secundo nostro summario locis in nupero memoriali citatis n. 68. & 69. Demum hoc

 decre-

decretum vocatur ab ipsis Sinenensibus *Chj*, ut videri potest in exemplari ejus Sinico: quo nomine in China universim Decreta regia appellari solent.

74 Verum non est, Decretũ istud suam promulgationem habuisse ab uno publicorum Nuntiorum scriptore, Italis *Gazettante*, ut ibi dicit Author Observationum. Nam per Ministros regios, quibus id ex officio incumbit, ex lingua tartarâ in Sinicam more solito versum, in toto Imperio divulgatum est, ut patet primo nostro summario pag. 103. post medium, & locis citatis in memoriali illi adjuncto num. 81. & 82. *ad num. 2.*

75 Quod autem linguâ tartarâ oblatus fuerit libellus, ratio est, quia ea lingua Imperatori familiaris est, & in ea plerumque respondere solet, cùm sit origine Tartarus. Præterea ob hoc ipsum, quòd propositiones istæ ad declarationem Sinicorum rituum, & Sinicarum vocum spectarent, convenientius erat, linguam illam Imperatori magis familiarem, & æquivocationibus minùs obnoxiam adhibere; quo clariùs constaret, quomodo voces aliquot controversæ, & litteræ Sinicæ ex mente ipsius Imperatoris, atque adeò ex legitima litterariæ sectę sententiâ intelligendæ essent.

76 Mirum est, quòd dicat Author Observationum, Imperatorem sine prævio examine vix, ac ne vix quidem seriò, & accuratè respondere potuisse; cùm tamen idem in fine sui libelli in Illustrissimum D. Ascalonensem invehatur, quòd ad puncta longè plura, sibi ab Authore Observationum proposita, prævium examen petierit; & è contrario commendet R. P. à Glemona, quòd sibi statim responderit. Constat autem Libellum supplicem à PP. Pekinensibus oblatum, lectum attentè fuisse ab Imperatore, antequam responsum daret, uti expressum fuit in ipsa Relatione Pekinensi in primo Summario pag. 100. in fine. Ac Responsum istud non solùm oretenus, sed & scripto authentico datum fuisse, paulò ante notavimus. *ad num. 3.*

77 Quoad *statum Controversiæ*, quem dicit Author Observat. *à Patribus Societatis minimè expositum fuisse*: certè cùm ille alius non sit, quàm de subsistentia facti expositi in Decreto Alexandri VII., & de significatione literarum *Tien*, *Xamti*, & *King tien*; patet, quàm clarè toto illo libello expositus fuerit. Nec quidquam officit, quòd ad *omnia universim responsum sit*, cùm is sit mos Principum, maximè apud Sinas. Neque verò magis expreſsè, ac distinctè respondere poterat Imperator, quàm dicendo, ea omnia *optimè scripta esse, & planè concordare cum magna doctrina*: ac deinceps repetendo: *ea esse verissima, neque egere ulla prorsus emendatione*.

78 Error ille perspicuus, de quo Author Observat. nostros Patres Pekinenses, vel Imperatorem Sinarum accusat, circa inscriptionem Tabellæ, quæ adhibetur, dum Cœlo, & Terræ sacrificatur, non in alium, quàm in ipsum Observationum Authorem cadit. Videri possunt, quæ in Summario nostro anni superioris pag. 134. post medium *ad num. 4.*

dium referuntur, Ubi rem ita narrant Patres Pekinenses: *Quo etiam*
„ *nomine* (nempe supremi Domini, quæ voci Sinicæ *Xang Ti* corres-
„ pondet) Imperator, ipse in formula Tartarica (neque enim alia no-
„ mine Imperatoris inter sacrificandum legitur) semper utitur; dum
„ in utroque Templo, nempe *Ti Tan*, non secùs atque in *Tien Tan*
„ ait, se id totum offerre *Han de*, *Supremo Domino*. Adeoque libellus Tartaricus, de quo solo loquitur Author Observat., & qui originaliter Imperatori oblatus fuit, dicebat, utramque tabellam preferre hanc inscriptionem *Han* (quæ vox Tartara juxta versionem ipsorum met Sinarum, in his inscriptionibus correspondet voci Sinicæ *Xang Ti*); & hoc quidem non falsissimum est, ut ait Author Observationum, sed verissimum. Una enim Tabella habet hanc inscriptionem *Terghi ah Caj Han*, hoc est *Altus, & supremus Cæli Dominus*; altera verò istam: *Nai Han*, idest *supremus Terræ Dominus*.

79 Atque hoc præcipuum PP. Pekinensium ex lingua Tartarica petitum argumentum erat, quòd sicut utrobique in Tartarica inscriptione eadem littera *Han* ponitur; ita utrobique idem supremus Dominus, qui plena petestate Cælo, terræque præsit, exprimatur: ac proinde Sinicæ inscriptiones, quæ Tartaricis correspondent, cum per eandem vocem exprimantur in tartarica, de eodem supremo Domino ambæ intelligendæ sint, uti videri potest in cit. pag.224.

„ 80 Neque Patres Societatis hoc ipsorum scriptum emendatione ali-
„ qua egere agnoverunt, prætereuntes inscriptionem Sinicam *Xamti*,
„ in exemplari apud Sinas divulgato, ut dicit Author Observat. Nam inprimis non ipsi Patres, sed Ministri regii fuere, qui versionem Sinicam fecerunt, & publicarunt. Deinde libellus Imperatori oblatus, ut diximus, solùm loquebatur de Tartarica inscriptione, quam dicebat in utraque Tabella habere eamdem vocem *Han* (correspondentem voci Sinicæ *Xam ti*). Nihil ergo mirum, si versio Sinica hujus libelli non dixerit eandem esse in utraque Tabella vocem, seu inscriptionem Sinicam *Xam ti*; cùm ea vox re ipsa non fuerit in libello tartarico, sed solùm ipsi correspondens vox tartarica *Han*.

81 Appellatur hoc numero Decretum Imperatoris ab Authore Observationum, *Vivæ vocis Oraculum*, de cujus etiam fideli relatione à Mandarinis Aulicis factâ dubitari possit. *ad num.* 5.

At Imperatoris Responsum, non oretenus, sed scripto in forma decreti datum fuisse jam ostendimus.

82 Accusantur ibidem Patres Pekinenses, quòd *per tot circuitus, & interpositas personas ad hujuscemodi quæsita responsum expiscati sint*.

At, præterquam quòd hæc est ejus curiæ consuetudo, ut libelli supplices nonnisi per constitutos Ministros Imperatori exhibeantur; hinc etiam minùs patere poterat injustis adversariorum suspicionibus locus, quòd non soli Patrum societatis relationi, sed autentico instrumento, per manus Ministrorum regiorum tradito standum esset.

83 Præ-

„ 83 Præterea dicit Author Obſervat., opus non fuiſſe eo libello ſup-
„ plice, ad exquirendam Imperatoris Sententiam, cùm ea certò co-
„ gnoſci poſſit abſque multo labore ex triginta, & ampliùs Commen-
„ tariorum illlius voluminibus &c.

84 Mirum certè, quod ex triginta, & ampliùs commentariorum vominibus, Sinicè ſcriptis, videatur homini extero, *abſque multo labore*, ac faciliùs, & breviùs exquiri poſſe Imperatoris ſententia, quàm ex ore proprio ipſiuſmet Imperatoris, cujus tot, tantaque volumina Sinica eſſe dicuntur. Præcipuè cùm hi libri nec ſint ab ipſo Imperatore conſcripti, ut dictum eſt in nupero memoriali n.70., & more Sinenſium Philoſophorum ſatis obſcurè, & per varias ambages plerumque loquantur.

85 Huc accedit, quòd ipſimet Adverſarii nos ad obtinendam hanc Imperatoris declarationem quodammodo compulerunt, ut in hoc ſcripto paulò ſuperiùs nu. 51. monuimus.

„86 Contendit Author Obvſervat: determinari non poſſe cauſam,
ad num. 6. „ de qua agitur, ex illa Imperatoris declaratione, quia alioquin deci-
„ ſio controverſiæ, ad ſummmum Religionis Chriſtianæ caput perti-
„ nentis, dependeret ex narratione, & fide duorum Atheopolitico-
„ rum Mandarinorum, Jeſuitis impensè faventium, quam & ipſimet
„ Patres Societatis, in hac cauſa cæteroquin reorum perſonam ſuſti-
„ nentes, exhibent, & teſtatam faciunt.

87 Sed quidquid ſit de illis elogiis, quæ Author Obſervationum his Mandarinis, quamvis ſibi incognitis, attribuit; nunquam dubitatum fuit, quin hujus controverſiæ deciſio à Sancta Sede dependeret. Sed id, quod nunc quæritur, eſt, an factum in Decreto Alexandri VII. expoſitum, ſubſiſtat: Cujus certè facti veritas non videtur certiùs haberi poſſe, quàm ex tali declaratione, ut pote factâ authenticè, & in forma decreti, ac toto Imperio publicata, & recepta, ut jam toties diximus.

88 Neque ſoli ſunt Patres Societatis, qui talem Imperatoris declarationem exhibent, & teſtatam faciunt; ſed tot inſuper Epiſcopi, Vicarii Apoſtolici, ac Miſſionarii Sinenſes, & Neophyti, tum literis, aut teſtimoniis ſuis, tum pluribus exemplaribus ejuſdem Declarationis ad S. Sedem tranſmiſſis, ut paulò ante diximus.

89 Cæterùm, cùm Patres Societatis in hac cauſa *Reorum perſonam* ſuſtineant, ut dicit Author obſervat.; adeòque ipſe cum ſuis perſonam Actorum, ſeu Accuſatorum; neque porrò debeat eſſe pejor reorum cauſa, quàm actorum, imò melior, ut omnia jura clamant; conſequens eſt, ut non ſolis Actorum iſtorum aſſertionibus in hac cauſa credatur; neque tàlis eſſe judicetur legitimus librorum Sinicorum Senſus, quia ipſi ſoli dicunt; præſertim; cùm & alia jam ab illis aſſerta, minimè ſubſiſtere jam aliàs oſtenſum fuerit, & in hujus reſponſionis progreſſu uberiùs oſtenſuri ſimus.

90 Ad ea verò, quæ in fine hujus obſervationis ſatis confidenter ab ejus

Au-

Authore adduntur de hac *causa jam ab anno*, *& ampliùs decisa*, patet responsio ex dictis Superiùs num. 4. &c.

NOTÆ

In Caput primum de Cultu Cœli.

91 Ante omnia advertendum est, committi ab Authore Observationum in Titulo hujus capitis magnam æquivocationem, quæ & toto deinceps capitis ejusdem decursu propagatur; ubi scilicet videtur sub his vocibus de *Cultu Cœli* insinuare, quod agatur in præsenti controversia de cultu illo, quo Cœlum, vel Cœli Dominus à Sinis colitur, seu de approbandis illorum Sacrificiis, ac Superstitionibus. Neque enim id agitur; sed utrùm apud illos inveniri possint voces, quibus Deus Optimus Maximus in eorum lingua designetur; quemadmodum ab Apostolis, & Apostolicis Viris inter innumeras variarum gentium superstitiones, & idololatrias, quæsitæ, inventæque sunt voces earum gentium propriæ, quibus idem Deus Optimus Maximus significaretur. Itaque simili prorsus ratione hîc nominatim quæritur, an Sinicæ voces *Xam ti*, *Tien*, & *Tien chu*, aliæque, his Synonimæ, sint re ipsa tales, ut secundum genuinam, ac velut naturalem significationem, quam etiamnum apud Sinas obtinent, Supremum Cœli, ac Terræ, rerumque omnium Authorem, & Dominum designent, sicut vox Latina *Deus* apud Romanos, & Græca Θεὸς apud Græcos eundem significabant.

92 Atque ut res ista statim ab infinitis confusionibus evolvatur, extriceturque, quibus Author Observationum illam in progressu intricare, & involvere sategit; convenit hîc repræsentare significationes, seu explicationes harum vocum, quas tum ipse Illustrissimus Rosaliensis, tum Illustrissimus Cononensis variis in locis Suarum Observationum ultro assignant. Nam quoad literas *Xam ti* Illustrissimus Rosaliensis pag. 17. n. 25., & alibi passim: item Illustrissimus Cononensis pag. 4. in fine, aliisque in pluribus locis fatentur, quòd latinè significent supremum Imperatorem.

93 Quod autem ad litteram *Tien* attinet, quando dicitur Cœlũ esse colendum. Ita de ejus significatione loquitur Illustrissimus Rosaliensis pag. 22. n. 4. *Nec enim negamus*, *Cœlum & Xam ti* (quod *Supremus*
„ *Imperator* ipse exponit, ut diximus) licèt nomina diversa sint, de eo-
„ dem dici, sicut quocumque nomine Imperator appelletur, unus
„ idemque Imperator designatur. Illustrissimus verò Cononensis pag. 115. post initium, hæc habet inter alia: Id omnes in Cœlo co-
„ lunt, quod dicitur *Chu Cai*; colunt Cœli spiritum, & Supremum
„ Imperatorem, nullusque ex illis impiis est, qui id non colat.

94 Et pag. 35. in fine ait: Neque ad Poëtas recurrere necesse est, nam &
„ ipsi Philosophi athei, ubi de moribus, & sacrificiis agunt, sic lo-
„ quun-

„ quuntur, ut nemini dubium esse possit, quin aliquos Spiritus, qui-
„ cumque illi sint, seu Deos, & unum inter illos excellentiorem admiserint. Ubi id observare liceat: *Si Philosophi, cùm de moribus, & Sacrificiis agunt, ita loquantur*; ergò termini, & voces, quas ibi adhibent, necessariò tales sunt, ut ex genuina sua, & communiter recepta significatione *Spiritus, & aliquem Spiritum inter illos excellentiorem, quicumque ille sit*, significent; & quidem cùm tali modo significent Spiritum aliquem excellentissimum, *quicumque ille sit*, ex hoc evidenter infertur, has voces non esse determinatas ad significandam materialem illam Cœli virtutem; & hoc quidem, ut ibidem asseritur, *nulli dubium esse potest*. Quod ille denuo repetit pag.
„ 107. post initium. Certum enim est, inquit, ubi de moralibus agi-
„ tur, aliquos à Sinis Spiritus, *Sive metaphorico, Sive proprio sensu*,
„ in Cœlo, terra, rebusque aliis uberioris utilitatis, & excellentiæ
„ agnosci, quos Sacrificiorum Spiritus nuncupant.

95 Ubi etiam advertere liceat, ex hoc dicto hujus Illustrissimi Domini, præfatas voces non determinatè accipi à Sinis in solo sensu metaphorico, uti alibi idem Dominus, parùm sibi constans asseruit.

96 Quod item huic Supremo Imperatori intellectus attribuatur à Sinensibus, idem etiam Illustrissimus Cononensis clarè testatur pag. 111.
„ ubi ait: Hinc etiam iidem Atheorum Principes dicunt, Cœlum deci-
„ pi non posse, respicere, audire, nihil ignorare, cor inspicere, &
„ pag. 112. Nullus hodie atheus est, qui ejusmodi dicta, & adhuc etiam
„ clariora passim non adhibeat, quasi Cœlum intelligentiæ plenum esse putet. Et pag. 113. circa initium, ad illa Sinarum axiomata, quibus Cœlum, quatenus ponitur objectum cultus, pari modo vocant *Patrem Cœlestem, Supremum Dominum &c*: respondet: *quid tum? Ergo datur aliquis Spiritus Cœli; quis unquam id negavit?*

97 Ibidem ad alia Sinarum axiomata, quibus Cœlum ut Dominum, ut Regem, summè intelligentem, misericordem, pium, omnia gubernantem &c. alloquuntur, ipse respondet. Inter innumeros Sinas
„ atheos nullus est, qui has loquendi formulas tum voce, tum scriptis
„ non usurpet, nullumque est ejusmodi Litteratorum adagium, quod
„ totidem pene verbis in ejus libris non ostendam, quem ipsimet RR.
„ PP. atheopoliticorum Principem appellant.

98 Intelligit autem celebrem illum interpretem *Chu Hi*, seu *Chu Ven Cung* dictum, de quo tamen quia Christianus Sinensis, à nobis in primo Summario citatus, idem ferè asseruerat, Illustrissimus Rosaliensis in suis foliis brevium notarum impudentiæ, & falsitatis illum accusat. Quo autem sensu Doctor *Chu Hi* atheopoliticorum Princeps ab aliquibus appellatus fuerit, paulò inferiùs exponetur.

99 Ex quibus omnibus clarè constat, juxta propriam etiam adversæ Partis confessionem, quòd voces *Xang Ti*, ac *Tien*, quatenus hæc accipitur, ut Synonima priorum Litterarum *Xan Ti*, significent apud Sinas Supremum Imperatorem, seu Dominum Cœli, eumque qui sit

sum-

summè intelligens.

100 Neque obstare possunt, imò magìs intentum nostrum confirmant, quæ Illustrissimus Cononensis pag. 111. in fine addit: *hos scilicet loquendi modos maximè ad terrorem populo incutiendum usurpari*, vel saltem in sensu metaphorico, ut ait pag. 107., aut etiam mendaciter (ut ait pag. 46.) eò quòd Litterati revera non credant dari talem Supremum rerum omnium Dominum; sed hanc primam rerum omnium originem, quam solùm oretenus dicunt Supremum Imperatorem summè intelligentem &c., sentiant non esse nisi virtutem aliquam Cœlo insitam. Si enim *hi modi loquendi*, ut ait Illustrissimus Dominus, *ad terrorem populo incutiendum usurpentur*; ergo ex publica Sinarum institutione à populo recepta, verè significant Supremum illum Dominum summè justum, pium, intelligentem, cordium Inspectorem &c. quidquid tandem sit de Literatorum aliquot quasi privata impietate, vel incredulitate.

101 Similiter si, dum id, quod re vera credunt non esse, nisi materialem Cœli virtutem, appellant Summum Imperatorem, summe intelligentem &c. hoc ipso mentiri dicuntur, hinc manifestè infertur, veram, ac communiter receptam harum vocum significationem non huic materiali virtuti convenire.

102 Eòdem pertinet, quòd idem Illustrissimus Cononensis pag. 104.
„ circa medium habet his verbis: Si quæ Idolorum templa ingredi lu-
„ bet, innumeræ statim inscriptiones occurrunt, quibus præcipua Dei
„ attributa hujusmodi monstris tribuuntur.

103 Ecce præcipua Dei attributa à Sinis cognita ex confessione Illustrissimi Domini. An verò quia hæc monstris illis ab impiis aliquot Sinis tribuuntur, desinent esse propterea vera Dei attributa; nec Deo vivo, & vero à Missionariis vendicari poterunt? Imò per hoc gravissimè peccant illi Idololatræ, qui propria solius veri Dei attributa illis monstris affingunt. Sanè si vera esset horum Dominorum Sententia, nec Apostoli, nec Apostolici Viri, vocem ipsam Dei, aut aliam ullam, apud Romanos Gentiles usurpatam, Deo vivo, & vero compellando adhibere unquam potuissent; neque ipse Illustrissimus Cononensis modicùm aberrâsset, dum in suo mandato usum vocis Sinicæ *Tien chu* ad compellandum Deum vivum, & verum suis Neophytis præscripsit. Cùm ea vox apud Sinas iisdem planè obnoxia sit difficultatibus, quas ipse movet adversus voces supradictas *Xam ti*, & *Tien*, utpote illis omnino Synonima; prout etiam constat ex nupero nostro Summario locis citatis in memoriali n. 13. & sequentibus. Præter illa, quæ ipsemet confitetnr pag. 146. recentis sui libelli, ubi
„ sic ait: Dicunt Sinæ Cœli Dominum *Tien chu*, quo nomine Deum nos
„ Christiani appellamus; quem unum è multis Spiritibus Spiritum, seu
„ Deum Sinæ putant: quod à voce *Dei* simpliciter, aut veri Dei longè
„ discrepat.

 Quam-

104 Quamvis autem hæc falsò afferantur, nihilominus Illustriss. Dominus his etiam non obstantibus non dubitavit vocem Sinicam *Tien chu* adoptare ad significandum Deum vivum, & verum, nihil tunc veritus vim suæ objectionis *ex nomine Jovis* petitæ, & adversus alias voces, his vocibus *Tien chu* planè Synonimas apud Sinenses toties inculcatæ.

NOTÆ

In Observationem Primam.

105 AD duo præcipua Capita tota hæc observatio reducitur. Primum est, quòd Author Observ. dicit, voces Sinicas *Van ve Ken Tuen, Chu Cai* regio decreto contentas, esse perperam redditas à PP. Pekinensibus per hasce latinas voces: *Rerum omnium auctori, ac Domino*, ut scilicet per tales voces Deum verũ denotari appareret: cùm revera debuissent illi vertere: *Rerum omnium radici, & origini dominanti*. Propterea, quòd Sinæ hoc *Ken Juen Chu Cai* dicant (ut ipse contendit) non esse aliud, quàm virtutem aliquam materialem prædominantem in Cælis, quam *Ly*. seu *Tay Kie* alio nomine appellant, ut ex variis Sinicis testibus ostendere conatur.

106 Alterum est, quòd ex confessione ipsorum Patrũ Societatis, Litterati Sinæ plerique sint Athei, adeòque (ut infert Author Observat.) nullum verum Dominum, & Authorem rerum cognoscant; ac proinde apud illos hæ voces *Ken Tuen*, *Chu Cai* significare non possint Authorem, & Dominum rerum, sed solùm virtutem aliquam dominantem, quam Athei illi, *Ly*, vel *Tay Kie* appellant, qui tamen, cùm etiam innumeris Spiritibus sacrificandum constanter asserant, consequens sit, eos habere Atheismum quemdam cum idololatria mixtum.

107 Ad primum punctũ respõdemus imprimis. quòd erratur in supposito. Supponitur enim, libellum supplicem Imperatori oblatum habuisse istas voces Sinicas *Ken Tuen*, & *Chu Caj*, quas tamen nullatenus habuit, cùm libellus supplex, qui oblatus fuit Imperatori, scriptus solùm fuerit in lingua Tartarica, habueritque vocem *Han*, quæ apud Tartaros supremum Dominum indubitanter, & sine ulla æquivocatione significat.

108 Deinde quoad voces Sinicæ versionis extra controversiã est, quòd hæ voces *Ken Tuen*, si simul ponantur, significent *originem*, *causam*, *principium* juxta Sinica vocabularia: id quod nec Pars adversa negat, & in contextu observationis, quam nunc examinamus, satis declarat. Aliunde autem ex usu communi constat, quòd nomina ista, quando dicuntur de ente intellectivo, idem significant, quod vox *Author*; quæ quidem vox aliud non significat, quàm ens intellectivum, quod sit origo, & causa rei cujuspiam.

109 Et verò, quòd ubi de Supremo Imperatore *Xang Ti*, vel *Tien*, ut obje-

cto

ctò cultûs, sermo est, concipiatur juxta communem Sinarum sensum tanquam ens plenum intellectu, tanquam Spiritus, qui nihil ignoret, qui corda etiam inspiciat &c. jam falsus est ipse Illustriss. Cononensis locis supra citatis, tanquam rem ex libris Sinicis compertissimam.

110 Accedit, quòd prædictæ voces *Ken Tuen* ad Authorem significandum determinantur etiam per voces *Chu Cai*, ipsis in Decreto regio adjunctas, quæ per se ipsas *Dominum*, & *Gubernatorem* significant. Nam origo, & principium rerum, quod simul est Dominus, utique non est nisi *AUTHOR rerum*.

111 Quod verò voces *Chu Cai* Dominum, & Gubernatorem apud Sinas juxta propriam significationem denotent, pluribus ostendimus in nupero nostro memoriali n. 12. & 13; Idque tam certum est, ut nec dissimulare potuerit Illustriss. Cononensis, dum pag. 115. sui recentis libelli ita ait: *Id omnes in Cælo colunt, quod dicitur Chu Cai. Colunt Cæli spiritum, & SUPREMUM IMPERATOREM.*

112 Quod autem Domini Adversarii ajunt, se linguam Tartaricam ignorare, ex eo non sequitur, Tartaricum originale regiæ declarationis non esse primo loco in hoc examine considerandum. Et quidem facillimum illis erat, à Tartaris per omnes Chinæ Provincias dispersis de vera Tartarici exemplaris significatione edoceri.

113 Præterea constat, Sinas passim in libris suis, dum loquuntur tam de suis Imperatoribus viventibus, quàm de supremo Spiritu, uti duabus hisce vocibus *Chu Cai* ad significandum illos esse Dominos, & Rectores: quod signum est, easdem literas applicatas supremo Spiritui perinde significare illum esse verè Dominum, & Rectorem, quàm significant ipsum Imperatorem esse verè Dominum, & Rectorem, quando de illo dicuntur.

114 Accedit, quòd tum Litterati omnes Christiani in libris suis; tum Missionarii omnium ordinum, ut Franciscani, & Dominicani in libris item suis Deum hactenus perpetuò appellarint *Chu Cai*; quemadmodum in nostro ultimo memoriali loco paulò antè citato ostendimus. An verò credi possit, & istos Missionarios, & illos Litteratos hactenus ignorasse, quæ sit vocum istarum vis, ac significatio; eamque demum uni Illustrissimo Rosaliensi innotuisse?

115 Neque omittendum videtur, quod idem Illustris. in his suis Observationibus num. 163. Textum unum Commentariorum moderni
„ Imperatoris, loquentis de cultu Cæli, ita exponat: Porrò facta hoc
„ modo Supremo Imperatori oblatione, prisci Reges populis significa-
„ bant, se quoque superiorem habere, quem colerent, omnesque suo
„ exemplo ad debitam erga superiores reverentiam exhibendam pro-
„ vocabant: Nam ex hoc satis clarè colligitur, per vocem *Xamti*, quæ ibi per *Supremum Imperatorem* redditur, ex antiqua, & publica priscorum Regum institutione huc usque transmissa, verè, ac propriè designari *supremum aliquem Dominum*.

116 Addimus hîc ad extremum, quod Illustrissimus Dominus Cononensis pag. 90. sui libelli observat, sic loquens: Neque enim Imperator, sed Patres Societatis quæsitorum propositionem fecerunt, suo sensu *Confucii verba intelligentes* (scilicet de *Xamti* loquentis).

117 Nam Imperator, qui ea, quæ sibi à Patribus Societatis proposita fuerant, penitus approbavit, probè norat, quo sensu prædicti Patres, ea verba intelligerent, utpote qui sæpissime cum illis de hoc ipso supremo Domino collocutus fuerat, & publicum etiam Edictum pro exercitio legis Christianæ dederat; atque insuper iisdem Patribus Ecclesiam pro Deo vivo, & vero colendo extruendam curaverat. Quare si qua æquivocatio in voce aliqua antea fuisset, quæ tamen nulla omnino erat, ea satis superque sublata esset per hoc ipsum, quòd & Imperatori, & aliis passim notorium sit in China, quo sensu ij, qui in libello illo supplice loquuntur, talem vocem intellexerint, exposuerintque.

118 Cæterùm hoc ipsum, scilicet quòd per voces Sinicas *Tien*, *Xamti*, *Chu Cai*, & similes, verè supremus aliquis in Cælo Dominus denotetur, satis fusè ostensum est in memoriali, quod anno superiore cum Summario nostro exhibuimus, ibi num. 98., & sequentibus. Idemque etiam fusiùs ostenditur in nuper edito memoriali à num. 13. usque ad 24.

119. Restat solùm, ut respondeamus objectioni, quam Author Observationum facit circa hoc primum Punctum suæ observationis, de appellationibus *Chu Cai*, & *Xamti*: nimirum quòd moderni præcipuè Philosophi frequenter asserant, suum *Xamti*, non esse aliud, quàm principium aliquod, quod ipsi *Ly*, vel *Tay Kie* nominant.

120 Verùm imprimis respondemus, tametsi hoc admitteretur, non per id tolli, quo minùs vox *Xamti*, significet propria significatione Supremum Dominum, quemadmodum hactenus ostensum est. Deinde etiam constat, has voces *Ly*, & *Tay Kie* apud Sinas non significare ex se virtutem dominantem. Nam *Ly* significat *rationem*, & *Tay Kie* significat *naturam*, seu *primum Terminum*. Quare dum Philosophi isti recentiores in China de Supremo Domino, sibi obscurè cognito, philosophantes, eum persimiles terminos explicare conantur, aliud non faciunt, quàm quod notum est fecisse nostrates olim Philosophos Gentiles apud Lactantium Lib.I. de falsa Religione Cap. 5. ubi post relatas varias Poetarum, & Philosophorum de Deo sententias,
„ sic ait: Horum omnium sententia, quamvis sit incerta, eodem ta-
„ men spectat, ut Providentiam unam esse consentiant. Sive enim Na-
„ tura, sive Æther, sive Ratio, sive Mens, sive fatalis necessitas, sive
„ Divina lex, sive quid aliud dixeris, idem est, quod à nobis dicitur
„ Deus. Nec obstat appellationum directas, cùm ipsa significatione
„ ad unum omnia resolvantur.

121 Hactenus Lactantius, cui conformiter P. Matthæus Riccius Missionis Sinicæ fundator in suo libro Sinico, inscripto, *Tien Chu Xey*

cap.

cap. 10. fol. 20., cum quodam Doctore Sinico disputans, ita loquitur: *Si tu dicis, quod ratio, seu Ly sit intelligentia, omnes res complectens, omnes res producens, tunc istud re vera est Tienchu (seu Deus.) Quare ergo illum vocatis Ly, seu rationem? Quare vocatis Tay Kie, seu naturam, vel primum Terminum?* Tum ibi idem Pater Riccius clarè ostendit, dari unum verum, & supremum rerum Dominum, summè spiritualem, & summè intelligentem &c. eumque nec *Ly*, nec *Tay Kie* appellandum esse. Id ipsum fecit P. Julius Alieni in suo libro dicto *Van Ve chin Tuen*: idest, *omnium rerum vera origo.* Atque hi libri tanto in pretio sunt apud Litteratos Sinenses, ut Imperator illos in Tartaricam linguam conversos, jusserit in regia Bibliotheca reponi, ut diximus in primo memoriali Superioris anni num. 107. Filius verò Princeps, ac Regni hæres summopere eosdem laudavit, ut videri potest in hoc secundo Summario num. 2. litt. B.

122 Neque hoc negare videtur Pars adversa, sed dicit, libros istos ideo à Litteratis Sinensibus æstimari, quia eorum Authores conati sunt doctrinæ Sinensium se se accomodare. Cùm ergo in iis expressè doceatur, dari unum verum, ac supremum rerum Dominum, qui nec sit appellandus *Ly*, nec *Tai Kie &c.* consequens est, hujusmodi doctrinam antiquæ, ac genuinæ Sinensium Philosophiæ minimè adversari.

123 Id quod etiam ulteriùs confirmari potest ex eo, quòd Literati Sinenses communiter fateantur, Antiquorum suorum doctrinam de Supremo præsertim Domino, per posteriores suos Interpretes, obscuratam potiùs fuisse, quàm dilucidatam; ac nominatim voces *Tai Kie*, & similes fuisse à recentioribus suis Doctoribus excogitatas: Itemque recentiorum istorum Commentarios ab omnibus quidem æstimari propter ingeniosos, vel ornatos discursus, quos continent, non ita verò propterea, quòd credant, multum in illis veritatis, aut antiquæ doctrinę inveniri. Nam & hoc ipsum identidem inculcatur in ipso libro *Singly*, seu Philosophia Sinica tom. 54. & apud alios passim Authores Sinicos. Idque etiam confessus est modernus Imperator in Summario anni superioris pag. 106. post initium; quam etiam ob causam fieri potuit, ut Patres Societatis in libris suis tam liberè insurgerent, ac quotidie insurgant in ejusmodi commenta Recentiorum, quin Literati ipsis contradicant.

124 Alterum hujus primæ observationis punctum est de Atheismo Sinarum, quem mirum est, quantopere Adversarii nostri exaggerarint, ut ad finem sibi præfixum pervenirent; adeò, ut universis Sinensibus omnem penitus notitiam Dei, ab antiquis etiam temporibus huc usque ademptam voluerint, contra communem, ut videtur, Sanctorum Patrum, ipsiusque etiam Scripturæ sensum; neque porrò dubitaverint, talem Atheismum cum idololatrismo commiscere; quasi verò stare posset simul nulla omnino Dei cognitio, cum aliqua Dei cognitione. Quam in rem satis esse poterit, quod habet S.Augu-

stimus

stinus Tract. 186. in Joan. *Hæc est, inquit, vis veræ Deitatis, ut Creaturæ rationali, jam ratione utenti, non omnino, ac penitus possit abscondi.*

125 Ex hoc enim loco patet, si qui sunt Athei, non ex eo Atheos dici, quòd nullam penitus Deitatis notitiam habeant, sed quòd Deum, quem aliquo modo cognoscunt, agnoscere nolint, vel colendo scilicet illum, vel confitendo, seu credendo, juxta illud Tertulliani adversus gentes cap. 17. *Hæc est summa delicti, nolentium agnoscere, quem ignorare non possunt.* Quod idem totidem pene verbis repetit S. Cyprianus, & longè antea satis expressum fuerat verbis illis Ps. 52. *Dixit insipiens in corde suo: non est Deus:* Quare maximè absurdum videtur, Nationem tam antiquam, tam amplam, tantaque doctrinæ, ac Sapientiæ fama ubique celebratam, qualicumque Dei notitia omni ex parte privare, imò etiam asserere, eandem semper Atheismum publicè professam esse, atque adeò nullum in tota lingua Sinica nomen nec proprium, nec etiam appellativum inveniri, quod sit ad verum Deum designandum idoneum; Cùm tamen expresse testetur D. Augustinus, nullam esse gentem, cui non aliquo modo Dei nomen, saltem ut *Author est rerum omnium, innotuerit*; Nam tractatu 106. in Joan. explicans illa Christi Domini verba: *Manifestavi nomen tuum hominibus &c.* postquam docuit, ea solùm de speciali manifestatione divini Nominis esse intelligenda, hæc subdit: Nam quod
„ Deus dicitur, universæ Creaturæ, etiam omnibus gentibus, ante-
„ quam in Christum crederent, non omnimode esse potuit hoc nomen
„ ignotum.

126 Cùm ergo Missionarii Societatis in suis scriptis Recentiores Sinas litteratos, plerosque in Atheismum prolapsos esse asserant, id in primis Adversarii malè antiquioribus litterariæ Sectæ authoribus applicant, cùm de antiquiorum Litteratorum scriptis universim omnes Societatis Missionarii contestentur, evidentia divinæ notitiæ testimonia in illis inveniri, quæ nec à modernis Litteratis negari possint. Secundò iidem Missionarii loquentes de iis inter hodiernos Sinas Litteratis, quos atheos vocant, apertè declarant, in quo hic illorum atheismus consistat; ajunt enim, plerosque illorum non quidem strictè, seu *positivè* atheos esse, quatenus absolutè inficientur omnem Divinitatem existere, sed solùm atheos esse *negativè* seu *præcisivè*, qui quidem ut inquit P. Le Faure pag. 95. *divinitatem non planè, ac putidè negant; at neque illam ipsam verbis, aut factis asserunt, cum ita se gerant, quasi de numine non cogitarent, vel de illius existentia admodum dubitarent*; quod deinde fusiùs explicat idem Auctor: Præsertim verò multi ex modernis interpretibus athei dicuntur, quia in suis libris magis de flore eloquentiæ, quàm de soliditate doctrinæ solliciti sunt, & dum pleraque per ingeniosa quædam systemata explicare nituntur, magnum apud illos plerumque de prima causa silentium; Nullus autem textus hactenus allegatus est, aut

affer-

afferri poterit ab Adverſariis, in quo expreſsè, ac definitè ſupremum Mundi Auctorem, ac Gubernatorem vivum, ac intelligentem exiſtere, etiam recentiores Interpretes negent; imò rarus eſt eorumdem Interpretum liber, in quo non hoc ipſum, nempe ſupremum aliquem vivum, atque intelligentem Mundi gubernatorem exiſtere non quandoque ſignificent; dum ſcilicet illis *imprudentibus ratio vera ſubrepſit*, ut in ſimili caſu de Lucretio ſcripſit Lactantius lib.7.divin. inſt. cap.12.

127 Audiendus etiam de hac re ipſe P. Le Faure, qui cap. 2. num. 4. pag.94. ſui libri ita ſcribit: *vix ullum oſtendas, qui ſummum aliquem Rectorem univerſi planè, ac præfractè negare auſit. Ego de me profiteor, ſexcentos inter Litteratos, quos alloquutus ſum, nullum ejuſmodi vidiſſe, aut de quopiam alio Litterato compertum habuiſſe.* R. P. Sarpetri Dominicanus idem ferme conteſtatur in opuſculo de Deo uno, vivo, & vero à veteribus finis cognito pag. 13. his verbis *Hoc unum dico, ac volo diligenter attendi; nimirum, ut demus, nullum eſſe textum Sinicum, quò clarè, atque expreſsè affirmetur* Xang Ti, *creaſſe Cælum, ac Terram; certè nullus pariter invenietur textus Sinicus, quo id ullatenus negetur &c.* Ac ſubinde fuſiùs exponit, cur iſtarum rerum expreſſior declaratio in Sinenſium libris prætermittatur; utpote quibus id unum propoſitum eſt, ut politica documenta quædam tradant, ac de adminiſtrando Imperio diſſerant, ſupponendo potiùs, quàm probando ſupremi Numinis exiſtentiam.

128 Certè de Sinenſibus Philoſophis illud dici poteſt, quod Apoſtolus
„ Rom. 1. ſcripſit: Veritatem Dei in injuſtitia detinent, quia quod no-
„ tum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis, Deus enim illis manifeſtavit;
„ inviſibilia enim ipſius à creatura Mundi, per ea, quæ facta ſunt, in-
„ tellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas,
„ ita ut ſint inexcuſabiles, quia cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum
„ glorificaverunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis &c.

129 „ Quo loco D. Thomas Lect. 6. ſic inquit: fuit enim in eis, quan-
„ tum ad aliquid, vera Dei cognitio, quia quod cognoſcibile eſt Dei
„ per rationem, manifeſtum eſt in illis.

130 Interim tamē nō deſſe complures etiam inter Sinas Litteratos, qui Deum verum ſub his nominibus *Xam ti*, *Tien*, *Chu Cai*, ut Rerum omnium Rectorem ac Dominnm colendum revera agnoſcant, & fateantur, & olim oſtenſum fuit in pleriſque opuſculis noſtrorum Miſſionariorum, atque etiam in libello ſuperiùs citato R. P. Sarpetri, & modò manifeſtè patet tum ex ipſa hodierni Imperatoris declaratione, tum etiam ex Magnatum, & Litteratorum Pekinenſium atteſtationibus in Summario anni præteriti à pag. 106. ac deinceps productis; tum maximè ex tot, tantiſque irrefragabilibus teſtimoniis tam Chriſtianorum, quàm Gentilium Litteratorum, quæ in nuper edito memoriali indicantur num. 13. & ſequentibus. Hinc ad numeros prima iſta obſervatione contentos ac potiſſimùm ad teſtimonia Je-

ſui-

suitarum, quæ tum in prima, tum in quinta observatione citantur, facilis est responsio.

à num. 7. ad 14. 131 Dicit Author observationum, *eò quæstionem reduci, quomodo quatuor voces Sinicæ Ken yuen, chu Chai* sint *intelligendæ*; ac se cum suis
„ ait existimare, lugendum esse, ac deplorandum, verba ab omnibus
„ Chinæ atheis usurpata, & in more posita, decem illos Patres Socie-
„ tatis coram Ecclesia Sancta Dei ita vertere, ut verum Deum, quem
„ colimus, significare videantur.

132 Nos in præcedentibus efficaciter, ut opinamur, ostendimus, voces istas non nisi de Authore, ac Domino rerum omnium juxta legitimum doctrrinæ Sinicæ sensum, ac communem apud Sinas harum vocum usum exponi posse: nec magìs lugendum, aut deplorandum videri, quòd decem illi Patres Societatis istas voces de vero Deo, quem colimus, explicuerint: quàm quod Sancti Apostoli, vocem Latinam Dei; aut græcam Θεὸς à Philosophis illis, de quibus paulò antè dictum est, usurpatam, & in more positam, ac in pravum sensum detortam, rerum omnium Authori, ac Domino attribuendam esse censuerint: aut quòd antiqui Patres, ut Lactantius, alias etiam illas voces, ab antiquis Philosophis infidelibus usurpatas, de eodem supremo Domino intelligendas esse contenderint.

133 Neque his obstat, quòd, ut Author Observationum asserit n. 10., PP. Riccius, & Martinius, aut alii de Societate scripserint, in Sinarum libris nullàm fieri mentionem de Origine Mundi, & Sinas Authorem ejus ignorasse; nam præterquam quòd ad hanc objectionem patet responsio ex doctrina superiùs tradita, nunc ulterius dicimus, PP. istos non aliud affirmare, quàm quòd in libris Philosophorum Sinensium non expressè doceatur, quomodo, vel à quo Mundus fuerit conditus; quemadmodum videlicet id ipsum non invenitur in libris Philosophorum nostrorum antiquorum, ac ne ipsius quidem Aristotelis omnium Principis; tametsi iidem Sinenses velut in genere, ac confusè id afferant, dicendo Supremum illum Dominum esse rerum omnium Principium; seu Authorem; ut videri potest in Summario nostro anni Superioris pag. 130. tit. 2. & 3., & quæ ibi allata sunt, concedit ultrò Illustrissimus Cononensis pag. 113. sui libelli.

134 Quoad Textus, qui à pag. 7. usque ad 10. ad calcem referuntur ex libris tam Sinensium, quàm Europæorum, aliud non probant, quàm quod aliqui ex posterioribus Sinensium Philosophis, Supremum illum Dominum, per voces *ly*, aut *Tai Kie*, aliasque similes, quæ vel rationem, vel naturam significant, explicare conati sunt; de quibus jam satis dictum videtur in antecedentibus.

135 Adducitur etiam ab Authore Observat. n. 14. ad probandum suum intentum de Significatione vocum *Ken yven Chu çai*, Textus quidam ex Commentariis moderni Imperatoris. Sed mirum hoc est, cùm in illo Textu nulla ex his vocibus reperiatur.

136 Agit

136 Agit hoc loco Author Observat. de Sinarum Idololatria cum vero Atheismo conjuncta.

Respondemus; Quàm absurdum sit asserere, quòd Sinæ ita athei sint, ut nullam penitus divinitatis notitiam habeant (uti asserunt Domini Adversarii) & quòd simul sint idololatræ, hoc est, qui aliquam saltem falsam divinitatem agnoscant, nemo non advertit. Solùm ergo hic pauca notabimus circa rationes, quibus Author observationum hoc suum planè chimæricum systema probare conatur.

137 In primis n. 16. affert P. Riccium cum reliquis Jesuitis in eadem fuisse sententia. Sed enim P. Riccius hanc ipsam sententiàm sua authoritate profligat. Nam lib. 1. cap. 10. loquens de modernis Literatis, de illis asserit: „ Si quis fortasse ab inanium Deorum cultu abstinent, „ ex iis pauci sunt, qui non in atheismum, lapsu graviore degenerent. Sed hoc loquendi modo P. Riccius apertè distinguit inter atheos, & idololatras, & neutiquam eosdem simul atheos, & idololatras dicit. Porrò cùm in hac sententia P. Riccii omnes Jesuitæ absque differentia concordare dicantur ex testimonio P. Longobardi, citato ab Authore observationum n. 66. Hinc consequens est, ex omnium Jesuitarum sententia hujusmodi mixtionem atheismi cum idololatria, tanquam rem prorsus chimericam, reiici.

138 Insuper Author. Observat. n. 16. refert illa P. Riccii verba: *Multi cum hac sua Secta litteraria reliquas duas miscent, & magnam sibi videntur assumpsisse Religionem, si nullam respuerint falsitatem.* Sed numquid illos multos, qui tres Sectas Sinicas miscent, ex eorum numero dicit esse P. Riccius, qui in verum atheismum degenerarunt, & nullam penitus divinitatem cognoscunt? Imò contrarium potiùs inde sequitur, nam omnes tres sectæ in hoc conveniunt, quòd divinitatem aliquam aliquo saltem modo confiteantur.

139 Deinde n. 18. Author Observat. ad explicandum, quomodo Sinicus Imperator cum reliquis Sinis atheus simul existat, & idololatra, & quomodo negaverit, à se sacrificium *Kiao* offerri Cœlo materiali, cùm tamen illud offerat virtuti in ipso Cœlo existenti, quæ rerum omnium & ipsius Cœli ac Terræ radix est & origo: dicit: Imperatorem facere, quod faciebant reliqui Idololatræ Græci, ac Romani, qui cùm Idolis suis sacrificia offerrent, non ipsos lapides, & muta simulacra colebant, sed spiritum, aut divinitatem, quam putabant in illis existere. Verùm hoc ipsum exemplum militat adversùm authorem Observ.; certè enim ob id ipsum antiqui Græci, & Romani non athei, sed idololatræ erant, nec omni nomine ad divinitatem significandam carebant; & quamvis hi idololatræ haberent pro ratione formali sui cultus Spiritum illum in Simulacris existentem, tamen re vera dicebantur colere eadem simulacra; omnesque Prophetæ illos propterea reprehendunt, quòd ligna, & lapides adorarent, nullusque Romanorum, aut Græcorum negasset, Jovis, aut alterius Numinis Simulacrum à se adorari, prout negavit absolutè Imperator, à se sa-

crificium offerri *visibili, & fusco flavo Cælo*. Imò tantò minùs hoc negare potuisset Imperator juxta sententiam Adversariorum, qui dicunt hanc virtutem, vel hunc Spiritum, re vera non credi à Sinis esse quid Spirituale, & intelligens, & à materia distinctum, sed esse quid cum ipsa materia identificatum, inanime prorsus, & sine intellectu.

140 Præterea addimus, Sacrificium illud *Kiao*, quod Cœlo offerri dicitur eodem n.18. non posse dici, quòd offeratur mutæ, & inanimæ virtuti Cœli (ut Author Observat. contendit.) Id enim satis superque redarguitur ex formula, qua Imperator in hoc Sacrificio utitur, in qua se appellat subditum Supremi Imperatoris: tum ex perfectionibus eximiis, quas Sinenses huic Supremo Imperatori attribuunt, & quæ inanimæ, & materiali virtuti neutiquam convenire possunt.

141 Interim verò num. 16. ita pronunciat Illustrissimus Rosaliensis, quasi censoris personam assumens: *Ex patenti porrò, & certissima Imperatoris Sinici Idololatria non minùs, quàm ex ejus atheismo, necessariò, ut quidem puto, deducitur, falsum esse, imò temerarium, impium, & erroneum, asserere, verum ab eo Deum coli.* Quod si Illustris. Dominus sub ejusmodi censura involuat, uti videtur involuere, qualemcumque Dei cognitionem, & qualemcumque Dei cultum, quamvis illegitimum, de quo solo sermo est; quam immeritò hujusmodi censura prolata sit, quivis intelliget, ut pote quæ pugnet contra Doctorem Gentium, qui Act. 17. dixit: *Quod ergo IGNORANTES COLITIS, hoc ego annuncio vobis, Deum, qui fecit Mundum &c.* Ut nihil interim hîc dicamus, aut de Salomone, qui perfectam licèt haberet Dei cognitionem, ut habetur 3. Reg.11.*Colebat Astarthen Deam Sidoniorum, & Moloch idolum Ammonitarum, ædificavit fanum Chamos idolo Moab &c.*, aut de Dario Rege Persarum, adeoque gentili, & idololatra, qui, ut dicitur Esdr.1. cap.6. præcepit dari *Vitulos, & agnos, & hædos in holocaustum Deo Cæli &c.*

à n.19. ad 22.

142 His numeris Author observationum agit de quodam textu Sinico satis celebri Doctoris Chin dicti, & à 42. Interpretibus Sinensibus exposito; cujus partem posteriorem n.10. refert secundùm versionem latinam Patris Couplet: totum deinde textum affert juxta suam versionem n.22. Sic autem textus habet juxta versionem legitimam: *Interrogabis; quæ nam sit differentia inter Tien* Cælum, & *Ti* (hoc est *Xam Ti.*) *supremum Imperatorem* (Istud autem initium textus Author Observat. omisit) *respondetur, à materia sensibili appellatur*
„ *Tien Cælum; à Dominio, & regimine* (seu quatenus Dominium, &
„ regimen habet Sinicè *Chu, Cai*) appellatur *Ti* Imperator; à summa
„ excellentia appellatur *Xin* spiritus; ab operationibus, & effectibus,
„ appellatur *Kuei Xin* spiritus destruens, & producens, seu Author
„ invisibilis, à natura, & efficacia appellatur *Kien* potentia, seu virtus

acti-

„ activa. Est (Tien, & Xam ti) re ipsa unum & idem, sed res, ex
„ quibus nomina desumuntur, diversæ sunt. Addunt 32. Interpretes
„ juxta expositionem Patris Couplet: Per se est Dominus, & Guber-
„ nator (Sinicè *Chu Cai*) nam Cælum quidem est res summè solida, &
„ perfecta, quæ naturaliter volvitur absque interuptione: quod autem
„ ita semper volvatur, necesse est, ut sit aliquis Dominus, & guberna-
„ tor (*Chu Cai*) qui id efficiat; oportet verò, ut hunc Dominum, &
„ Gubernatorem intellectu, ac mente concipiamus; neque enim verbis
„ clarè exprimi potest, quis ille sit.

143 Hactenus est Textus ille celebris cum additione 42. Interpretum Sinensium, ex quo ritè intellecto, clarè constat, aliquem supremum Dominum à Sinis agnitum fuisse. At Illustrissimus Rosaliensis ex eo contendit demonstrari contra Patres Societatis, literas *Chu Cai* non significare Dominum, sed vim dominantem (sumptam scilicet pro virtute quadam materiali, activa, ac prædominante in Cælis) qua autem ratione id demonstrat? vix alia sanè, quàm vertendo ad suum intentum litteras Sinicas *Chu Cai* per latinas voces. *Virtutem dominantem*, eamque suo modo intellectam, dum ita vertit cit. num.22. *ratione sui Chu Cai*, seu *virtutis illius dominantis appellatur Ti Imperator*. Sed præterquam quod hæc ejus versio, & applicatio uno vertentis arbitrio nititur, satis apparet, quàm ineptè *Imperatoris* denominatio trahatur ab ejusmodi virtute prædominante. Tum additio illa 42. Interpretum dicentium, per se esse hunc *Chu Cai*, *Dominum*, *& Gubernatorem*, penitus evertit prædictam versionem, & explicationem Illustrissimi Rosaliensis, qui & id videtur quodammodo advertisse, quando ita vertit: *respondentque vim illam per se existere*; ac mox ipse de suo addit; *hoc est per se, & necessariò Cælo inesse*.

144 Porrò ea, quæ hoc Textu continentur, ipsa sunt, quæ explicantur per illam similitudinem in regio decreto, de quo hic agitur, allatam ubi scilicet dicitur, quòd supremus rerum omnium Dominus appellatur quandoque *Xam ti* supremus Imperator; quandoque *Tien Cælum*; quemadmodum Sinarum Imperator, appellatur modò *Chu Xam* Dominus supremus à Dominio, quod in Imperio habet, modò *Pi hia infra throni gradus*, à custodibus, seu Ministris regiis ad throni gradum assistentibus, modò *Chao Ting*, aula regia à Palatio, quod inhabitat: quibus ita expositis subiicitur in eodem decreto: *Hæc nomina quamvis diversa sint, qui tamen iis nominatur, unus & idem est*. Sicut videlicet in prædicto Textu continetur. *Tien* Cælum, & *Ti*, idest supremus rerum omnium Dominus, *re vera unum & idem est*, *sed res, ex quibus ejus nomina desumuntur, diversæ sunt*. Unde ruit expositio Illustris. Rosaliensis, contendentis, hisce Textus illius verbis significari, quòd *Ti* supremus Dominus juxta Sinensium doctrinam non sit nisi Cælum materiale.

NOTÆ

In Secundam Observationem.

145 IN hac observatione contendit Illustriss. Rosaliensis, quòd Sinenses præter supremum Cæli Dominum, colant aliud insuper quasi Terræ numen, seu Spiritum, ut ipse loquitur, effæminatum, quem Reginam Terræ appellant, & cui sacrificia etiam offerunt: indeque quando Confucius ait: *Sacrificiorum, quæ Cælo, & Terræ offeruntur, ritus sunt ad colendum Supremum Imperatorem*, necessariò debere addi, aut subintelligi. *Heu Tu*, Reginam Terræ, propterea, quòd textum hunc celeberrimus omnium Interpretum Sinarum *Chu Hi* dictus ita exponat; quem deinde (uti dicit Author Observationum) sequuntur omnes alii Interpretes, ipseque inprimis Sinarum Imperator, ita, ut ne unus quidem ostendi possit, qui in hoc puncto dissentiat. Additque, credendum esse, quòd Interpretes Sinæ legitimum Cunfucii sensum meliùs capiant, quam Patres Societatis.

146 Respondemus inprimis, additionem hanc de *Heu Tu* (quas voces Author Observat. *reginam terræ* interpretatur) nihil facere ad præsentem controversiam, ubi solummodò de genuina vocum *Tien* & *Xam ti* apud Sinas significatione quæritur. Nam ad hoc spectat, quod in decreto Imperatoris asseritur; per vocem *Tien*, cùm dicitur coli Cælum, non intelligi visibile Cælum, sed Cæli, & terrę, rerumque omnium Authorem, ac Dominum, & hoc esse, quod Confucius ait, dum dicit: *Sacrificia, quæ Cælo, & Terræ offeruntur, fieri ad colendum supremum Imperatorem*. Cæterùm quo cultu hic supremus Imperator colatur, & an illi addatur simul aliud numen, nec ne, ad hanc quæstionem nihil attinet; sicut antiquitus ad quæstionem de significatione hujus vocis *Deus*, aut Θεὸς nihil attinebat, an gentiles Deam aliquam, an unum vel plures Deos, & quo illos cultu colerent.

147 Dicit Author observat. n. 26. *Qui numen Terræ à Xang Ti, seu supremo Imperatore distinctum agnoscit, licèt supremum, nescio quem Imperatorem Xang Ti dari fateatur, is profectò Deum non novit.*

148 Sed quis non videt, quòd si vera foret ea Propositio Illustriss. Rosaliensis; non potuisset vox *Deus*, aut Θεὸς ab Apostolis adhiberi ad significandum Deum, quem colimus, cùm Romani, ac Græci gentiles Divinitatem sub eo nomine agnoscerent in plures Deos, aut Numina distinctam; neque Apostolus Rom. 1. dicere verè potuisset. *Cognitum fuisse Deum cum sempiterna sua Virtute, & Divinitate* ab illis, quos idem ibidem ait, *mutavisse gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis, hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium.*

149 Jam quod attinet ad ipsum Confucii textum adductum, & docto-

ris

ris *Chu Hi*, aliorumque Sinensium Interpretationem, res ita se habet: Confucius dicit: *quod sacrificia Kiao Xe dicta, fiant ad colendum Supremum Dominum Xamti*. In hujus Textus expositione Doctor *Chu hi* dixit, sub litteris *Xam Ti* esse subaudiendas, ideoque addendas literas *Heu Tu*. Has verò literas *Heu Tu* contendit Author observationum vertendas esse per *Reginam Terræ*; cùm potiùs deberet vertere per Regem, seu Dominantem Terræ, ut ipsemet Doctor *Chu Hi* exponit in suo libro *Tu Luy*, ita enim unus Litteratorum Præfectus de vera expositione hujus textus interrogatus asseruit. Insuper ista vox *Heu* apud vocabularia Sinica primo loco dicitur significare Regem, seu qui dominatur.

150 Unde licet voces illæ *Heu Tu* subaudiantur, vel addantur ad vocem *Xam ti* in illo textu, aliud non significabunt. quàm quòd sacrificia *Kiao Xe* dicta fiant supremo Domino *Xam ti*, qui & Cælis simul & terris dominatur. Atque huc pertinet, quod in Regio decreto dicitur. *Per tien Cælum, & Xam ti supremum Imperatorem, intelligi Cæli, terræ, rerumque omnium Authorem, & Dominum*.

Hinc facilis est respousio ad ea, quæ sub numeris hujus observationis attulit Illustrissimus Rosaliensis.

157 Nam inprimis reprehendit latinam versionem Textus Confuciani de *Kiao Xe* à Patribus Pekinensibus factam, quasi debuissent dicere, ut ipse vertit: *& hoc est, quod Confucius dicit: Sacrificii Cæli, & sacrificii terræ ritus &c.* cùm Patres Pekinenses dixerint: *Confucius ait, quod illa Sacrificio KIAO XE dicta &c.* Verùm hanc esse meram cavillationem agnoscet, quisquis aliquid Sinicè norit: siquidem idem planè est dicere sacrificium *Kiao*, ac dicere Sacrificium Cœli, seu quod Cœlo, hoc est Cœli Spiritui, offertur; & similiter idem est dicere, Sacrificium *Xe*, ac dicere Sacrificium Terræ, seu quod Terræ, hoc est terræ Spiritui, offertur. ad n.24. & 25.

152 Post relatam Doctoris *Chu Hi* de subaudienda voce *Heu Tu* modò exposita Sententiam, valde exagerat Illustrissimus D. Rosaliensis prædicti Doctoris authoritatem inter Sinas.

153 Respondemus, quamvis tantopere laudetur iste Doctor *Chu Hi*, non deesse tamen Interpretes, qui illum in variis carpant, & ab eo dissentiant, maximè in interpretatione libri Classici *Ye King* dicti. à n.26. ad 30. Insuper liber *Ven Hien Tung cao* tom. 178. fol. 17. dicit, quòd idem Doctor in explicatione libri Classici *Xi King* habeat multa, de quibus potest dubitari. Item liber *Su Xu Mung Tu* in proœmio dicit, Doctorem *Chu Hi* non clarè explicuisse quator Virtutes Cardinales, quæ sunt apud Sinas, *Pietas*, *Æquitas*, *Honestas*, *& Intellectus*. Et tomo 5. dicit idem liber, eum in explicatione vocis *Ming*, seu Cœlestis legis, rem non stabilire. Item tom. 3. agendo de Spiritibus, ait: ea quæ habentur in ejus Commentario *Siao Chu*, nempe diffusiori, magna ex parte promanasse ab ejus discipulis, & posteriora cum prioribus non cohærere. Author *Chung Keng* in suo Commentario

libri

libri *Ye King* etiam à Doctore *Chu Hi* dissentit. Unde patet, in variis eum non probari ab omnibus.

154 Neque omittendum videtur, quod eodem n. 27. in fine, tum alibi sæpe, Jesuitis affingit Illustrissimus Rosaliensis; quòd hodiernum Imperatorem *Kanghi* dicant *esse verum Dei adoratorem*. Jesuitæ id nuspiam, ac nunquam dixere; sed Illustrissimus Dominus confudit *veri* Dei adoratorem cum *vero* Dei adoratore, quasi dici possit verus Dei adorator, quisquis verum Deum agnoscit, ac colit, quamvis cultu superstitioso eundem veneretur: quod quàm sit absurdum, nemo non videt.

155 Producuntur n. 28. & 29. P. Matthæus Riccius, aliique de Societate, qui Doctorem *Chu hi* reprehendunt, quòd in expositione Textus Confuciani supra adducti, addendam voluisset vocem *Heu Tu*.

156 Equidem illum reprehendunt Patres Societatis, non tamen quòd sub nomine *Heu Tu* Reginam Terræ, ut Author Observat. perperam interpretatus est, aut aliud quoddam Numen, à *Xam ti* expressè distinctum, induxerit, sed duntaxat, quòd illa sua subauditione, vel additione vocis hujus ad vocem *Xam ti*, occasionem dederit aliquam putandi, *Heu Tu* esse Numen aliquod distinctum à *Xam ti*, *sicque obtenebraverit textum Confucii clarissimum*, uti loquuntur Patres Pekinenses pag. 125. libelli sui, qui locus etiam citatur hîc à D.Rosaliensi n.29. quod & insinuaverat P.Riccius lib. *Tien chu Xe Y* tom. 1. cap. 1. Has verò tenebras satis dissipavit decretum Regium, uti paulo antè ostendimus.

157 Interim num. 30. non bene ratiocinari videtur D.Rosaliensis, dum „ ex præcedentibus infert, Jesuitas non negaturos, Doctorem *Chu hi*, „ ejusque sequaces, qui Numen Terræ à *Xang Ti* Supremo Imperato- „ re distinctum agnoscunt, simul esse & Atheos, & Idololatras, ipsos- „ que sub nomine *Xam ti* verum Deum non coluisse. Nam (prætérquamquod ex dictis satis inferri potest, Doctorem *Chu hi* non agnovisse *Numen* Terræ distinctum à *Xan Ti* Supremo Imperatore) quomodo atheus dici posset, qui duo Numina distincta agnovisset, scilicet *Numen* Terræ, ut illud appellat D. Rosaliensis, simulque Numen *Xang Ti*. Neque item consequens est, ut qui plura Numina coluit, is veri Dei cognitionem, de qua sola sermo est, nullã habeat, quemadmodum etiam antea declaratum est.

An.30.ad 36. 158 Congerit deinde idem Illustrissimus Dominus varios Textus ex commentariis tum Imperatoris, tum duorum Litteratorum Sinensium *Chang Tung cho*, & *Chang Kolao*, ac n. 35. Jesuitis exprobrat; quòd cum Patre Faure pag. 105. suæ dissertationis, se duos istos sequi *glorientur*; & *utinam*, addit Illustrissimus Dominus, *non gloriarentur*, *sunt enim duo perditissimi athei*. Quasi Jesuitæ gloriarentur, se illos sequi in eorum prætenso atheismo, & non ibi ageretur de mera explanatione Textus cujusdam Sinici, cujus intelligentia non minùs petitur ab eorum libris, quàm à libris Porphyrii, quamvis Christianis

nis infensissimi, solent Christiani Authores multa quotidie depromere.

159 Interim Authores isti ab Illustrissimo Domino citati aliud non dicunt, quàm sub voce *Xam ti Supremo rerum omnium Domino comprehendi etiam Heu tu* gubernatorem, seu dominatorem Terræ; qui loquendi modus, potiùs indicat, hæc de uno, eodemque numine dici, quàm de duobus: id quod etiam satis apertè expressum est à commentariis regis paulò post Textum, quem retulit Illustrissimus Dominus n. 30., ubi subjungitur: *Kiao Xe esse Sacrificia, quæ offeruntur Xam ti*, nullam jam faciendo mentionem ipsius *Heu Tu*, tanquam numinis à numine *Xam ti* distincti: idque conformiter receptæ inter Sinas doctrinæ; uti videri potest nominatim in libro apud illos celebri *Ven Hien Tung Cao*, dicto tom. 71. & sequentibus, ubi hæc pluribus explicantur, & expresè dicitur: *Dum Cælo, & Terræ exhibetur obsequium, ejus Spiritus est unus Dominus*. Item liber *Su Xu Mung yu* tom. 4. fol. 72. ita habet. *In Cælo & Terra est unicus Spiritus destruens, ac producens*. Hinc plures Authores Sinici, non modò improbant, quòd iste Supremus Dominus duobus distinctis nominibus appelletur, sed & quod duo distincta sacrificia illi fiant. Multi Imperatores unum ei dumtaxat sacrificium, aut uno saltem in loco offerebant, uti habetur in libro citato *Ven Hien Tung Cao* nec non in libro *Po Ve Tien guei* tom. 4.

160 Postquam Illustrissimus Rosaliensis satis diu laboravit, in numeris præcedentibus, ut ostenderet, sub nomine *Heu Tu* coli à Sinis Numen quoddam terræ effæminatum, quod ipse Reginam terræ appellavit; ac mox, scilicet n. 31., sub eodem nomine contendit, aliud non intelligi ab iisdem Sinis, quàm Terram ipsam materialem, nunc demum eò progreditur, ut illud *Heu tu* aliud non esse dicat, quàm vetustissimum quemdam hominem Sinensem *Heu tu* appellatum. *à n. 37. ad. 39.*

161 Sed nec videtur felicior esse Illustrissimus Dominus in hac sua postrema transformatione ipsius *Heu Tu*, quàm fuerit in antecedentibus. Siquidem liber *Xu Kim*, quem ipse ex P. à S. Paschali adducit, non hoc dicit; sed id solùm juxta Interpretes, & Librum *Li Ki*, aliosque Authores, quòd cùm olim à Sinarum Regibus dominatori Terræ Sacrificaretur, eidem in Socium ex latere, vel in Convivii Comitem, uti vocabant, adjungeretur, tanquam accessorius, unus quidam Præfectus, qui ob rectam rei agrariæ administrationem *Heu tu*, idest, gubernator, seu dominator terræ pariter appellabatur.

162 Atque hæc dicta volumus, ut ad ea responderemus, quæ D. Rosaliensis de *Heu tu* intrusit, non ita verò, ut tales ritus defendendos susceperimus, aut putemus ista facere ad præsentem quæstionem: ubi scilicet non de usu vocis *Heu tu*, sed solùm de usu vocis *Xam ti*, & similium supra indicatarum, ad significationem Veri Dei adhibendarum, agitur in præsenti Controversia.

NO-

NOTÆ

In Tertiam Observationem.

à n.40. ad 44.

163 Contendit ibi Illustrissimus Rosaliensis, *nihil, vel parùm ad rem facere, nisi ad Europæis imponendum*, quæ à PP. Societatis exposita sunt, & in Decreto Imperatoris approbata: scilicet quòd aliquando (ille Supremus Dominus *Chu çai*) non vocatur *Xam ti*, sed
„ Cœlum; sicut Imperator, seu Supremus Dominus, sæpe non vocatur
„ hoc nomine, sed dicunt infra ejus throni gradus, aut Supremam Pa-
„ latii aulam appellant. Quæ quamvis nomina sint diversa, tamen res
„ significata eadem est.

164 Negaverat olim Illustrissimus Cononensis prædictos loquendi modos, ac metaphoras, cum adjecta paritate, seu similitudine, in Sinis locum habere, uti videri potest in declaratione mandati, quæ exstat in hist. Cult. Sineus. pag. 358. Jam verò Illustrissimus Rosaliensis, videns ejusmodi metaphorarum usum, ac similitudinem, seu paritatem, esse in decreto regio approbatam, cùm id negare ampliùs non audeat, conatur vim hujus argumenti declinare, recurrendo ad prætensam illam identitatem physicam, ac realem, quam supponit à Sinis credi inter Spiritus, & res, quibus dominari creduntur; sed ut valeret ista ejus responsio, supponere pariter deberet, quòd à Sinis, & ab ipso in primis Sinarum Imperatore, credatur Sinarum Imperatorem esse etiam unam, eandemque physicè rem cum *Suprema Palatii aula*, aut *Ministris infra ejus throni gradus existentibus*. Secùs enim non apparebit, quomodo paritas, seu similitudo in regio decreto approbata subsistat.

165 Affert ibi Author Observ. n. 42. verba quædam Confucii: *Tj une ul po gœi*, quæ ipse ita interpretatur: *Spiritus sunt de ipsa rerum substantia*; indeque dicit, quòd *re ipsa apud Sinas Spiritus ab ipsis rebus non distinguantur*. Verùm verba illa Confucii aliud non significant, quàm: *Spiritus dat rebus incipere, & desinere, nec eæ possunt sine illo esse*: Ita enim explicat illa Doctor *çay* juxta Doctorem *Chu Hi*, tantæ, ut ait Illustrissimus Rosaliensis, apud Sinas authoritatis, in suo libro *Su Xu mum yu* tom. 3.

166 His accedit, quòd Doctores Sinenses communiter dicunt, Spiritus esse sine corpore, aut figura; quomodo ergo dici potest, illos asserere, Spiritus non distingui ab ipsis Corporibus, uti dicit ibidem Author Observationum? Videri etiam potest P. Riccius Fundator Missionis Sinicæ in suo libro *Tien chu xe y* tom. 1. cap. 4., ubi id, quod Sinæ dicunt omnia esse unum, explicat de Unitate Originis, vel rationis genericæ.

167 Cæterùm non hîc omittendum, sed potiùs notandum maximè videtur, quòd in ipso Textu Sinico Decreti Regii, de quo hîc agitur, dici-

dicitur per *Tien* Cœlum intelligi *Chu Cai* (Dominus, & gubernator rerum omnium;) ficut per *Chao ting* (aulam regiam) intelligi folet *Chu Xang* (Supremus Imperii Dominus) & quòd in eodem decreto Sinico eadem litera *Chu*, quæ ibi ter pofita invenitur, bis applicatur Sinarum Imperatori, ad fignificandum,illum effe Imperii Sinenfis *Dominum*, qui & dicitur tantùm ibi *Chu*: femel verò applicetur ei, qui ibidem appellatur rerum omnium Author; ideft *Xam ti*, qui & ibi dicitur *Chu çai*: quo fcilicet fignificetur, hunc tam verè, & potiori titulo dici rerum omnium Supremum Dominum, quàm Imperator Sinarum verè dicitur Dominus fui Imperii.

NOTÆ

In Obfervationem Quartam.

168 IBi Illuftriffimus Dominus impugnat Tabellam *King tien*, Cœlum colito, ab Imperatore Sinarum Patribus Societatis anno 1675. donatam pro tutela fuarum Ecclefiarum, & à reliquis Miffionariis etiam PP. Dominicanis per annos complures fine ulla contradictione acceptatam, atque ab Illuftriffimo Cononenfi per annos ampliùs decem in China vifam, ac permiffam, feu toleratam; nec demum reprobatam, nifi cùm ipfe fe à fuo Vicariatu proximè removendum operâ Jefuitarum credidit,ut ipfe indicat in declaratione fui mandati Hift. Cult. Sinenf. pag. 385. *Anu.45.ad 46.*

169 Contendit autem Author Obfervationum, *Tabellam ita infcriptam continere proteftationem Idololatriæ*; quam certè proteftationem mirum effet, non fuiffe tamdiu à tantis diverforum Ordinum Miffionariis, & ab ipfo inprimis Illuftriffimo Cononenfi animadverfam. Ipfe verò Author obfervationum jam dicit,*manifeftè, & invictè evinci, Tabellam iftam ab Idololatria excufari non poffe*; *Jefuitafque eam in fuis Ecclefiis appendendo, abominationem defolationis in loco Sancto pofuiffe*. Solos ibi Jefuitas appellat, imputando illis talem *abominationem*; quafi alii Miffionarii, etiam Dominicani, ab ea omnino immunes effe potuiffent, fi qua verè fuiffet in eo facto *abominatio defolationis*; cùm conftet, ejufmodi tabellam ab illis in aula faltem anteriori appenfam fuiffe. Tum dicit, eam *abominationem defolationis* commiffam fuiffe à Jefuitis,appendendo hanc Tabellam in fuis Ecclefiis, quafi illam Jefuitæ femper in fuis Ecclefiis, ac non fæpius extra illas appenderint; & quafi illam in fuis Ecclefiis appenderint, ut eam cultu aliquo religiofo venerandam exponerent: quod utrumque à vero effe omnino alienum conftat ex teftimoniis jam aliàs fæpe productis, ac nominatim ex dictis in n. 108. memorialis Suæ Sanctitati unà cum Summario anno Superiore oblati.

170 Totum autem fundamentum, vel faltem potiffimum tantæ accufationis, dicit effe Illuftriffimus Dominus, quia in *Tabella King Tien*

„ ejusdem Cœli cultus commendatur, cui Imperator in Sacrificio *Kiao*
„ Sacrificat. Volunt enim Patres Societatis (subdit) unam ex altera
„ quæstione pendere, & ideo voce *Tien* Deum Optimum Maximum in
„ Tabella significari, quia Sacrificio *Kiao tien* Imperator Deo Optimo
„ Maximo sacrificat.

171 Respondemus, imprimis verum non esse præcisè, quòd velint Patres Societatis, ideo voce *Tien* Deum Optimum Maximum in Tabella significari, quia sacrificio *Kiao Tien* Imperator Deo Optimo Maximo sacrificat: quasi nimirum istud qualecumque sacrificium sit ratio immediata talis significationis à Patribus Societatis intentæ, uti insinuat Illustrissimus Rosaliensis: sed hoc solùm volunt Patres Societatis, ideo per vocem *Tien* in prædicta Tabella inscriptam, significari verum Deum; quia, cum de Cœlo colendo agitur, constat ex ipsa Imperatoris declaratione,ac passim ex libris Sinicis,non intelligi Cœlum materiale, sed id, quod à Litteratis Sinensibus appellatur *Chu Cai*, & *Xam ti*, idest Supremus Dominus, & Imperator. Atque hoc ipsum scilicet est, quod Patres Pekinenses expressere in Textu Decreti Regii, hîc relato ab Authore Observationum sub n. 45., ubi ita
„ dicunt; quondam sua Majestas hoc nobis beneficium fecit, ut nobis
„ dono daret has propria manu scriptas literas, *King tien* (idest Cœlum colẽdum) *hęc verba JUXTA JAM EXPLICATUM SENSUM INTELLIGIMUS*. Explicaverant autem paulò ante in sensu à nobis proximè relato, & huic explicationi Imperator ipse subscripsit, adeòque notorium omnibus fecit, quo sensu ea verba ipse intellexisset; dum scripsit, & quomodo ab aliis intelligi voluisset.

172 Cæterùm ex eo, quòd dicatur, sub vocibus *Tien*, vel *Xam Ti* significari Deum Optimum Maximum, quem omnes colere debeant, non magis sequitur,commendari cultum illum Superstitiosum ab Imperatore Sinarum Supremo Imperatori *Xam Ti* præstitum, quàm sequatur,approbatum fuisse à Divo Paulo cultum Superstitiosum,quem Athenienses *Deo ignoto* præstabant; quando Apostolus dixit, se annunciare ipsis sub iisdem vocibus, *Deo ignoto*, Deum vivum, & verum, ab omnibus colendum, uti habetur Act. 17.

173 Verùm videtur Illustrissimus Rosaliensis perpetuò confundere cognitionem Dei cum ejus cultu, tum Dei veri cultum qualemcumque seu licitum, seu superstitiosum cum vero Dei cultu.

ad num. 47. 174 Atque ibi cum ejusmodi æquivocatione sibi familiari prorumpit in
„ hanc grandem Censuram. Enim vero, quis nisi perditissimæ fidei,
„ projectæque frontis coram Sancta Dei Ecclesia affirmare ausit, Im-
„ peratorem gentilem, Cœlo, imò & terræ sacrificantem, Deo vivo,
„ & vero sacrificium offerre, illum, inquam, Imperatorem, qui ut
„ verbis RR. PP. utar, ita impietate obcæcatus est, ut non quidem su-
„ premo Cœli Domino, sed supremo suo Idolo *Xang Ti* clariùs, quàm
„ quivis alius Imperator, addat aliud numen, aut Terræ genium, aut
„ *Heu Tu* quandam Terræ Imperatricem.

175 Pri-

175 Primò PP. Societatis ab Authore Observat. scire desiderant, quo loco extent illa RR. Patrum verba, quibus ait se uti Illustrissimus Dominus ad describendam illam impietatem, quam moderno Imperatori Sinarum attribuunt? Nimirum id, quod PP. Pekinenses de aliis quibusdam *Imperatoribus intermediæ ætatis dixerunt* in sua relatione Pekinensi, & retulit ipse Illustrissimus Dominus n. 32. suarum observationum; non dubitavit ipsemet fingere, dictum fuisse ab illis Patribus de hoc Sinarum Imperatore, tum ibi in margine, ubi sic legitur: *Imperatoris Sinensis obcæcatio, & impietas testimonio Jesuitarum Pekinensium demonstratur*, tum hic n. scilicet 47. Cùm tamen clarum sit, Patres illos de hodierno Imperatore minimè locutos esse.

176 Præterea idem Illustrissimus Dominus n. 48. adhibet testimonium Patris Riccii ad probandum, hunc Imperatorem, dum Deo vero sacrificat, adstantes habere, & comites, nefandæ Sectæ *Tao* sacrificulos &c. cùm tamen P. Riccius propè centum antè annis vixerit, & de alia familia Imperiali loquatur. *ad n. 48.*

177 Idem Illustrissimus dicit, eumdem Imperatorem pro Patre Cœlum, pro Matre Terram *fu tien mu ti agnoscere; eisque propterea tanquam parentibus sacrificare*: *ad n. 49.*

178 Respondemus, constare satis ex dictis, Sinarum Imperatorem, dum sacrificat, sacrificare uni *Xam ti Supremo rerum omnium Domino*; uti ostensum est, referendo, & expendendo ipsiusmet declarationem super sacrificiis *Kiao Xe* dictis, quæ in decreto regio continentur. Quare si idem Imperator, ubi de cultu *Xam ti* agit, utitur vocibus *fu tien Cœlum Pater*, & *mu ti*, *Terra mater*; ideò id facit, quia in eodem *Xam ti*, tamquam Supremo scilicet Cœli, & Terræ Domino, utramque velut qualitatem Patris, & Matris simul agnoscit, quemadmodum & ipsis Sinarum Imperatoribus utraque ejusmodi denominatio *Fu Mu*, scilicet *Patris* simul & *Matris* (populorum) attribuitur in libro Classico *Xu King* tom. 4. cap. *Tai Xi Xang*. Quin & ipse Illustrissimus Cononensis in quodam scripto Catechetico, in Sinis impresso, non dubitavit utramque ejusmodi qualitatem, ac denominationem, velut ad imitationem Imperatoris, Deo nostro attribuere, appellando illum *Ta Fu Mu*, idest *Magnum Patrem, & Matrem*, uti videri potest in posteriori nostro Summario num. 11. lit. C.

179 Dicit idem Illustrissimus Dominus, eundem Imperatorem se manifestum atheum in suis libris ostendere, utendo, pluries ipsis literis *King tien, Cœlum colito* in sensu manifestè atheo, utpote qui de solo materiali Cœlo esse possit; dum v. g. dicit, in colendo Cœlo nihil majoris momenti esse, quàm calendarium conficere, & Cœli temporum rationem tradere: subditque, ideo illum has literas *Cœlum colito* Jesuitis tradidisse, quia Calendarii conficiendi curam habebant. *à n. 50. ad 51.*

180 Respondemus: quod spectat ad libros illos, de quibus hîc loquitur Illustrissimus Dominus, jam dictum esse, eos non ab ipso Imperatore

 com-

compofitos fuiffe,fed fub ejus folùm nomine editos,tanquā continentes explicationem quandam quotidianam, eidem juveni traditam.

181 Atque etiam ex illis fuperiùs retulimus textum, in quo dicit, approbatque,*prifcos Reges Sinarum,facta Supremo Imperatori oblatione, populis fignificaffe,fe quoque fuperiorem habere,quem colerent &c.* aliaque ejufmodi plura ex iifdem commentariis adduximus in fummario noftro anni Superioris n. 8. litt. XXX., & plura alia fimilia, fi opus effet, afferre facilè poffemus. Nunc verò quod attinet ad locum de Calendario, qui extat in his Commentariis in librum *Xu King*, non aliud ibi dicitur, quàm quòd Cultus Cœli, & regimen populi, non in folo interiori animi affectu confiftat, fed foras etiam promanare debeat ad curandas res Calendarii, & dandam populo temporum diftributionem.

182 Cæterùm quis fuerit fenfus, & intentio Imperatoris in tradendis litteris *King Tien*, *Cælum colito*, non videtur meliùs conftare poffe, quàm ex propria, & authentica ipfiufmet declaratione, quæ in decreto regio continetur.

à n.52. ad. 59. 183 Totus ibi eft Illuftrifs. Dominus in enarrandis variis Idololatriæ generibus, quibus addictum effe dicit Imperatorem Sinarum; tum ita concludit; *Certè fi hujufmodi Imperator Deum verum cognofcere, & colere dici poffit, fi veri Dei verus Adorator appellari, cur id ipfum de Romanorum antiquis Imperatoribus dici non debeat, haud quaquam video.*

184 Refpondemus, nos minimè id fufcepiffe, ut Imperatorem Sinarum ab Idololatria immunem affereremus; multò minus, *verum Dei adoratorem*, uti perpetuò nobis impingit Illuftrifs. Dominus: fed id folùm contendimus, neque illi, neque aliis etiam Litteratis Sinenfibus aliquam veri Dei cognitionem deeffe; quidquid fit de illius cultu: ficut non defuit illa aliquibus faltem Romanorum Imperatoribus, ut Adriano, ac M. Aurelio Antonino &c. quorum præclara extant pro Chriftiana Religione decreta, & ficut non defuit item iis Philofophis, de quibus loquitur, conqueriturque Apoftolus Rom.1.

N O T Æ

In Obfervationem Quintam.

à n.60. ad 74. 185 POftquam fatis diu verfatus eft Author Obfervat.in expendenda quæftione,à PP. Pekinenfibus Imperatori Sinarum propofita, non revera de *cultu Cæli*, ut ipfe perpetuò fupponit, fed de vera fignificatione vocum *Tien*, & *Xamti*, ubi de Cælo colendo agitur, jam expendit Imperatoris refponfum, quod in Decreto regio continetur, & quod tamen haud integrum refert. Sic autem habet illius refponfum: *Quæ hic fcripta funt, optimè fcripta funt, & planè concordant cum magna doctrina: Cælo, Dominis, parentibus, ac Magiftris* de-

debitam venerationem exhibere, ista Orbi universo communis consuetudo est : sive ut est in originali Tartarico; *ista orbi universo communis est lex*.

186 Contendit porrò Illustriss. Dominus, uti ponit in margine suæ quintæ Observationis, *Imperatoris Sinarum responsionem sufficere ad Jesuitarum condemnationem*. Qua autem ratione id probat? nimirum hac unica; quia cum Imperator Sinarum sit atheus, & idololatra, sub nomine Cæli, cui sit exhibenda veneratio, aliud non intellexit, quàm Cælum materiale, quod & hodie, ut ipse ait, in China communiter colitur. Tum excurrit Illustrissimus Dominus in atheismum, & idololatriam, variasque, & innumeras superstitiones, quibus scatet China universa, uti etiam constare dicit ex plurium Jesuitarum, aliorumque testimoniis.

187 Respondemus: in mentem revocandum esse, præsentem controversiam in hoc uno consistere, quid intelligatur nomine *Tien, Cælum, in sacrificiis Cęlo offerri consuetis à priscis regibus, & Imperatoribus &c. & quibus Philosophi Sinę ipsum Xam Ti*, sive supremum Dominum) juxta legitimam veterum suorum doctrinam) *coli dicunt &c.* quemadmodum expressum fuit in ipso libello supplice, oblato Imperatori Sinarum à PP. Pekinensibus, qui & ibidem subdunt, se existimare, *his sacrificari Cęli, Terrę, & rerum omnium Authori, ac Domino, non verò visibili, fusco, flavo Cęlo*. Hanc PP. Pekinensium existimationem, seu expositionem approbavit Imperator Sinarum in suo responso, dum dicit: *Quę hic scripta sunt, optimè scripta sunt, & planè concordant cum magna doctrina*. Unde quæ Imperator ad ea consequenter adjecit: *Cęlo debitam venerationem exhibere ista Orbi universo communis consuetudo est*; hæc, inquam, de Cælo dicta, planè significant, juxta explicationem paulò superiùs allatam, sub nomine, Cæli, intelligi ab Imperatore Sinarum, adeoque etiam ab universa China juxta legitimam priscorum suorum doctrinam intelligendum esse *Cæli, Terræ, & rerum omnium Authorem, ac Dominum, non verò visibile, fuscum, flavum Cęlum*.

188 Itaque pro comperto habetur, voce *Tien, Cęlum*, dum pro objecto cultus, seu venerationis accipitur in China, significari, Cæli, Terræ, & *rerum omnium Authorem, ac Dominum*, non autem *Cælum ipsum visibile*, idque tum juxta *priscorum Regum, & Imperatorum* institutionem, tum etiam juxta approbationem Imperatoris moderni. Neque porrò pro minùs comperto haberi debet, per voces istas: *Cæli, Terræ, & rerum omnium Authorem, ac Dominum*, significari Deum vivum, & verum, ut in præcedentibus satis ostensum est.

189 Dicere deinde, quòd sub his vocibus *Cęli, Terrę, & rerum omnium Authorem, ac Dominum*, Sinæ saltem moderni cum suo Imperatore nihil aliud intelligant, quàm Cælum materiale, seu virtutem quamdam materialem Cælo insitam, vel inhærentem, hoc ipsum est, quod

quod jam supra pluribus in locis refutavimus. Ubi etiam non semel declaravimus, non propterea id nos intendere, ut modernos Sinas, eorumque Imperatorem à variis suis superstitionibus, & idololatriis immunes asseramus; simulque indicavimus ex scriptura, & SS. PP. credendum non esse, ex eo, quòd gens aliqua tot, tantisque vitiis atque erroribus immersa sit, eò devenire, ut lumen illud à natura, seu potiùs ab ipso Deo omnibus inditum penitus amittat, quo cuncti ratione utentes noverint, supremum aliquod Ens esse colendum; cui & consequens est, ut noverint debitam reverentiam Regibus, Parentibus, Dominis, ac Magistris esse deferendam. Quæ omnia Sinarum Imperator in suo responso complexus, subjunxit; *Istam esse Orbi universo communem consuetudinem, seu legem*; quod videlicet idem est, ac dicere: hoc esse penitus conforme rectæ rationi, & germanæ veterum Sinarum doctrinæ, ab ipso Imperatore agnitæ, & approbatæ, ita ut si qui deinde ab ea recesserunt, receduntque, tanquam prævaricatores genuinæ suæ doctrinæ habendi sint.

190 Unde & mirandum videtur, quod tam sæpe in isto suo libello, & hîc n. 74. repetit Illustriss. Dominus Rosaliensis, *Sinas hodiernos veri Dei cognitione à multis sanè sæculis caruisse*. Nam præter illa, quæ de priscorum illorum Regum, ac veterum Sinarum doctrina agnovit, & testatus est Imperator, ut in præcedentibus dictum est; quomodo de Sinis saltem hodiernis verum id esse poterit; apud quos constat, lumen Evangelicum à centum ampliùs annis longè, latèque diffusum esse operâ Missionariorum, qui illuc penetrarunt ante finem sæculi decimi sexti? Præter illos alios Missionarios, qui circa sæculum sextum, aut septimum ab adventu Christi Domini, in Chinam advenere, & fidem Christianam ibidem satis diu fixere, uti constat ex monumentis planè indubitatis: Præter Judæos etiam, & Mahumetanos, qui magno numero per multa sæcula in China fuere, aut etiamnum supersunt, ac Deum sub nomine *Tien* (Cælum) cognoscunt, & reverentur: uti in Summario nostro anni Superioris diximus num. 8. in fine.

191 Inde enim satis evidenter apparet, Sinas hodiernos non omni prorsus Dei cognitione carere, qua, si ad eum ritè colendum non utantur, non ex eo provenit, quòd Sol Justitiæ ipsos non illuminet, sed ex eo solùm, quod oculos ipsi voluntariè claudant, ne videant, ut illum & clarè cognoscant, & ritè colant. Cum quo optimè stat id, quod Patres nostri ab Authore Observationum citati dixere, scilicet plerosque ex hodiernis Sinis omni genere Idololatriæ, ac superstitionum infectos esse, aut ita se gerere, quasi nullum Deum cognoscerent, vel crederent.

ad n. 75. 192 Concludit Illustriss. Rosaliensis hanc suam observatiobem, quæ ultima est capitis primi, ab ipso inscripti de *cultu Cæli*: concludit illam, inquam, cum hac sententia, quam ipse pronunciat, & quasi pro titulo ponit ad marginem num. 75. *Novum, & absurdum est Jesuitarum*

rum Pekinentium Systema. Tum ibidem sub hoc titulo ita loqcitur: *Jam judicet Sedes Apostolica, quid sentire debeant viri cordati, & Catholici de novo Jesuitarum Pekinensium Systemate, seu potiùs commento, qui &c.*

193 Respondemus, imprimis non videri locum hîc esse posse Systemati, aut commento, ubi sincerè exponitur à Jesuitis significatio vocis unius Sinicæ, juxta declarationem ab ipso Sinarum Imperatore quæsitam, & datam. Deinde quo nomine donandus erit modus iste, sive agendi, sive loquendi, quem hîc tenet Illustrissimus Rosaliensis? qui primùm quidem sententiam ipse absolutè, ac velut definitivè pronunciat, dicendo: *Novum, & absurdum est &c.* postea verò sententiam illam à Sede Apostolica exquirit, aut exquirere videtur, dum ita loquitur: *Jam judicet Sedes Apostolica, quid sentire debeant viri cordati, & Catholici de novo Jesuitarum Pekinensium Systemate &c.* Imò nec ampliùs illam exquirit, uti paulò post sese explicat, supponens rem esse definitam: ut *bujus controversiæ*, inquit, *jam statutam definitionem retardarent*. Quod & supra n.6. Suarum Observationum clariùs expresserat, dicens, *hanc causam ab anno, & ampliùs à sacra Congregatione decisam, & Constitutionem jam esse formatam &c.* Ita nimirum omnia sunt illi evidentia, & aperta.

194 Sed quodnam tandem est *novum* istud, & absurdum *Jesuitarum Pekinensium Systema?* hoc nempe juxta Illustrissimum Rosaliensem, *quòd coram S. Petri Successore affirmare non dubitant, hodiernos Sinas juxta communem totius Regni consuetudinem Deum vivum, & verum colere*.

195 Respondemus: Verum non esse, Jesuitas affirmare id, quod ipsis hîc attribuit Author observationum, ut satis liquet ex præcedentibus, ubi fusè declaratum est, quis sit sensus decreti regii ex ipso ejus contextu: quo scilicet non significatur, omnes hodiernos Sinas agnoscere, aut colere Deum vivum, & verum, sed solùm, quòd juxta germanam priscorum suorum doctrinam, ac veras Imperii leges ab antiquis traditas, & ab hodierno Imperatore agnitas, & approbatas, possint, ac debeant illum aliquo saltem modo agnoscere, ac revereri.

196 Sanè non possumus satis mirari, quòd Vicarius Apostolicus Missionis Sinensis tantopere impugnet illam Imperatoris Sinarum declarationem, ex qua tot, tamque manifesta Religioni Christianæ in China propagandæ commoda proveniunt. Nam cùm omnibus Sinensibus jam notum sit, Imperatorem sensus hujusmodi, atque explicationes approbasse, ac declarasse, quod ita loqui, est sano modo, ac juxta veterum Sinarum instituta loqui, atque doctrinam hanc veram esse, neque in ea quidquam esse reprehendendum, haud dubiè nemo negarit, quin validissimum inde argumentum desumere possimus ad convincendos Sinas omnes de vera supremi Numinis existentia, quin illi quidquam opponere possint, ne proprii Regis declarationi refragari videantur. Præterquam quòd eadem regia declaratio maximum pon-

pondus addit libris omnibus, quos Missionarii Sinenses variorum Ordinum ab initio Missionis huc usque conscripsere, ad Deum verum, & vivum Sinensibus ex propriis sectæ ipsorum litterariæ principiis, ac naturalis rationis ductu persuadendum.

197 Et verò negandum non videtur, quin aliquod rei hujus exemplum habeatur in facto Doctoris Gentium, quod act. 17. refertur: Stans
„ autem Paulus in medio Areopagi ait: Viri Athenienses, per omnia
„ quasi superstitiosiores vos video. Præteriens enim, & videns simula-
„ cra vestra, inveni & aram, in qua scriptum erat. IGONTO DEO.
„ Quod ergo IGNORANTES COLITIS, hoc ego annuncio vobis.
„ Deus qui fecit Mundum, & omnia, quæ in eo sunt, hic COELI, ET
„ TERRÆ cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat &c.

198 Istud Apostoli factum referens, & expendens Eminentiss. Cardinalis Baronius in suis Annalibus ad Ann. Christi 52. n. 6. hæc habet, ad nostrum, ut videtur, intentum summopere facientia, ac præcipua
„ attentione dignissima: At Paulus admirabili quadam circumspectio-
„ ne DIVINO AFFLATUS SPIRITU, causam egit. Nam quoniam
„ sciebat à multis argui, qui novorum Dæmoniorum videretur annun-
„ ciator, eò quòd Jesum Christum prædicaret, ut eâ culpâ careret,
„ NEC NOVI NUMINIS VIDERETUR INVENTOR, SED
„ POTIUS ANTIQUI ILLORUM CULTUS ASSERTOR; AC
„ PRÆDICATOR, ex ipsorum Theologia ad insinuandum verum
„ Dei cultum, ADMIRABILI QUADAM PRUDENTIA aditum pa-
„ tefecit; & licet nequaquam illorum Templa esset ingressus, ex his
„ tamen, quæ foris stare Simulacra conspexerat, dicendi sumpsit exor-
„ dium.

199 Omittimus plurimas, & utilissimas observationes, quas in hunc locum Scripturæ, & Baronii annotationem facere possemus in favorem causæ nostræ, nec audemus certè, ne in dubium quidem revocare, num approbaturus sit Illustriss. Rosaliensis tam consideratã Eminentissimi Baronii enarrationem, multò minùs celebre illud Apostoli factum, de quo ibi agitur. Verùm hoc unum liceat nobis quærere, qua tandem ratione cum his ipsis stare possint tam multa, quæ ipse tam sæpe inculcat, atque exaggerat adversus novum istud, ut vocat, *Systema Patrum Pekinensium*, sive *Jesuitarum*. Fallimur, nisi tot, tantaque, ac fortè etiam plura adversus eosdem Jesuitas declamaturus fuisset, si ipsimet ea dixissent, quæ constat ab Eminentiss. Cardinali Baronio juxta SS. Patrum mentem dicta fuisse; aut si fortè ipsi etiam fecissent, quod fecit Apostolus, neque factum ab Apostolo fuisse uspiam legeretur.

200 Addere denique hîc possemus, quòd, cùm, ut ait Christus Dominus, bonitas arboris ex fructibus dignoscitur, fat multi extant fructus, quos ex illo Jesuitarum Systemate ad imitationem D. Pauli, ut nobis quidem videtur, usurpato, constat in China jamdudum promanasse, & quotidie promanare in adducendis ad plenam cogni-

tio-

tionem, & verum Dei cultum Sinensibus, quin malum adhuc ullum ex eodem principio ortum fuisse dici verè possit. De quibus certè fructibus satis esse poterit in præsenti Testimonium minimè suspectum Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini de Nicolais, qui in suis Responsionibus ad quæsita Sacræ Congregationis disertè testatus est,
„ multos in China conversos esse, videndo in antiquis suis libris funda-
„ mentum talium assertionum, de vocibus scilicet *Tien*, & *Xam ti* pro
„ Deo vivo, & vero accipiendis. Molti si convertirono in China col
„ vedere ne loro libri antichi il fondamento di tali assertioni.

201 Idemque in suis Responsionibus ad Puncta Cardinalis Casanate Puncto 10. testatur, uno & eodem quasi tempore cæpisse PP. Missionarios, & Christianos Chinæ uti nomine *Tien chu*, & vocibus *Tien*, & *Xam ti*, ad significandum verum Deum; nisi quod majorem quamdam declarationem ad harum postremarum vocum usum adhibendam esse judicarunt, quemadmodum fusiùs relatum ềst in expositione facti à PP. Societatis oblata Sacræ Congregationi S. Officii anno 1699. Ex quibus liquere opinamur, eos, qui tamdiu in China receptum usum vocum *Tien*, & *Xam ti* sub præclara illa specie *novi, & absurdi Jesuitarum Pekinensium Systematis* tanto nunc impetu adoriuntur, non modò simili prope impetu adoriri usum vocis *Tien Chu*, eodem quasi tempore usurpatæ, sed & ipsa Missionis Sinensis fundamenta subruere, totamque adeò Christianitatem Sinensem susque deque eversum ire.

202 Ex his autem, quæ tum hic, tum in prima Observatione exposita sunt, satis constare potest, quid respondendum sit ad aliqua nostrorum Missionariorum dicta de Atheismo Sinensium, quæ hic denuo producuntur, atque exaggerantur ab Adversariis; constat enim ex ipsa eorundem Missionariorum explicatione, plerosque ex litteratis, qui Athei vocantur, tales esse, ut cùm de supremi alicujus Numinis existentia, atque Attributis interrogantur, id minimè audeant inficiari; imò quasi oculos ad rationis lumen aperientes, illud ipsum planè ac sincerè confiteantur; præsertim, quando illis Majorum suorum doctrina, quam adhuc dum agnoscunt, & reverentur, atque exemplum proponitur. Deinde constat, indefinitas illas aliquorum propositiones non hoc ipso universales esse, sed potiùs cum debitis limitationibus, atque exceptionibus intelligendas esse, prout intelligi debent in numera hujusmodi dicta, quæ passim etiam in S. Scripturis, & in Sanctorum libris occurrunt, ut Ex. Gr. est illud Ps. 13. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est, usque ad unum*: quod dictum si universaliter acciperetur, jam nec fuisset S. Propheta, qui aliorum lapsus defleret, ut S. Augustinus observat. Et hujusmodi est illud D. Hyeronimi dictum, quòd post Concilium Ariminense ingemuit totus orbis, & se Arianum esse miratus est; Certè tamen tunc non deerant quàm plurimi, qui rectè secundum orthodoxam doctrinam de SS. Trinitate sentirent; & quamvis

G plu-

plurimi aberrarent à fide, tamen verum erat, dicere, communem Ecclesiæ doctrinam esse, Dei Filium ejusdem esse cum Patre naturæ.

203 Ad hunc etiam modum debet accipi, quod ab aliquibus de antiquis Romanorum, & Græcorum Philosophis dictum est, eosdem Atheos fuisse, & quod nos dicere solemus de modernis Hæreticis, illos, præsertim Anglos, Batavósque, Atheos esse. Atque in hunc sensum etiam exstat liber eruditus P. Antonii Possevini de Atheismis Hæreticorum.

104 Cæterùm jam supra ostensum est, ex P. Riccii sententia, quæ primo loco hîc citatur ab Illustriss. Rosaliensi, potiùs inferri, non deesse inter litteratos Sinenses, qui secundum priscorum Sapientum doctrinam nec inanium Deorum cultum sequantur, nec tamen in Atheismum degeneraverint.

205 Quare omnia illa Missionariorum dicta nullatenus pugnant, imò optimè concordant cum responsione Imperatoris, prout superius à nobis exposita est.

NOTÆ

In Caput secundum De Progenitorum Cultu.

ad num. 76. 206 IN hoc Capite dicit Illustrissimus Rosaliensis, expendenda sibi esse quatuor puncta, ut, *quæ Patres Societatis de Progenitorum cultu Imperatori exposuerunt, simulque ejusdem ad ea responsionem ipsorum causam nullatenus juvare demonstraret*. Quatuor autem illa puncta totidem Observationibus complectitur.

NOTÆ.

In Observationem Primam.

ad num. 77. 207 IN hac Observatione illustriss. Rosaliensis contendit ostendere, *Litteras Sinicas chi çu in expositione Patrum PeKinensium Imperatori exhibitas, nequaquam oblationes politicas, sed verum sacrificium significare*; hoc enim est, quod ipse totidem verbis concludit n. 91. in fine ejusdem observationis.

208 Antequam veniamus ad argumenta, quibus id probare nititur, advertimus, Illustriss. D. errare hîc in supposito, sicut jam fecit in principio capitis præcedentis; supponit enim, literas istas Sinicas re ipsâ extitisse in expositione à PP. Pekinensibus Imperatori exhibita; quod non ita contigit, cùm, uti loco illo declaravimus, fuerit libellus supplex linguâ tartarâ compositus, quæ hasce literas Sinicas non habet.

ad num. 78. Argumentum primum Authoris observationum est, quòd in toto libro *Li Ki famoso Chinæ Cæremoniali, seu Rituali nusquam reperiantur voces chi & çu, licet centies repetitæ, ad aliud præter sacrificium deno-*

notandum usurpari: uti non obscurè intelligitur (inquit) *ex illis Textibus, quos Reverendiss. Episcopus Beritensis magno numero collegit, & Latinè redditos Sac. Congregationi obtulit*; Tum ipse paucos aliquos Textus ex sua penu depromit:

209 Imprimis verò Ill. D. nos amandat ad illos Textus, quos Reverendissimus Episcopus Beritensis collegit &c. quorum tamen textuum cùm plerosque, & præcipuos producat ipse in decursu, ad eos suis locis respondebimus, præterquam quòd jam satis responsum esse ad illos videtur in ulteriori Expositione Facti; quæ initio anni 1700. prodiit, ac sacræ Congregationi oblata fuit.

210 Hîc solùm notamus, nullum ex iis Textibus probare, quòd vox *chi*, vel *çu* genericè sumpta verti debeat per vocem *Sacrificium*, sed solùm per vocem *oblatio*, cùm illæ oblationes non fiant ad agnoscendum supremum dominium in eo, cui offertur.

211 Deinde quâ ratione pretendit Author Observationum, Textus ex *Li Ki* depromptos, aut depromendos, nusquam ad aliud præter sacrificium denotandum usurpari? nimirum quia ubicumque reperitur vox *chi*, *aut cu*, ipse met statim illos in *Sacrificium* vertit, tametsi nihil habeant de natura sacrificii, quemadmodum videre est num. sequenti scilicet num. 79. observ. ubi loquens de *chi*, quod fit in conviviis, *Constans est*, inquit, *Sinarum doctrina, juxta illud apud ipsos vulgare axioma, chi xe, Chi Sien ie, chi* (sacrificium) *quod fit inter comedendum, ad veteres* (coquos) *dirigitur*. *ad n 79.*

Egregia sane probatio! quòd vox *chi* sacrificium significet, quia scilicet *chi* juxta Dominum de Lionne est *sacrificium*, *Idque etiam, si opus esset*, subdit, *comprobarem testimonio omnium sæculorum literatorum Principis, ac ipsius met Imperatoris KANGHI ejus Discipuli, nec non duorum illorum insignium Virorum, quos Jesuitæ se sequi gloriantur*; quid verò illud est, quod tot tantisque testibus, tanta cum emphasi productis, author observationum *comprobaret si opus esset*? non id certè est, quòd vox *chi* apud Sinas *sacrificium* significet, sed quod illud *chi*, quod juxta regulare Sinarum axioma fit *inter comedendum*, *ad veteres* (Coquos) *dirigatur*, quæ res omnino diversa est, neque enim ex eo, quòd aliquid *ad veteres Coquos dirigatur*, consequens est, ut sacrificium sit, etiam si nullum in eis agnoscatur supremum dominium, quemadmodum videre est in isto *Chi* Coquorum, uti constat ex lib. *Liki* cap. 1., ubi solùm dicitur, quòd Sinæ olim inter comedendum ad singula fercula tantillum cibi è catino decerptum in vacuo mensæ vase deponebant, ad grates primis condiendarum epularum authoribus persolvendas, & id vocabant *Chi*.

212 Affert idem ibidem Textum alium è trivio petitum, quem simili modo, ne dicamus pejori, in sacrificium transfert. *Inter diras execrationes*, inquit, *quibus Sinæ ira perciti, & maximè patres filiis maledicunt, hæc numeratur: chi ni che Ko, cujus certè sensus non est, Hoc ad tui politicam venerationem offero, ut ex RR. PP. doctrina sequere-*

 tur

tur; *sed hoc tibi, quem mortuum vellem, tanquam mortuo sacrifico; quod summum apud Sinas maledicti genus est*.

213 Nescimus, ubi nam gentium Author observationum tale maledicendi genus audierit; at etiam nescimus, utram potiùs mirari debeamus expositionem, an illam, quam dicit sequi ex RR. PP. doctrina, & quam nos fatemur esse prorsus ridiculam, negamusque ex RR.PP. doctrina sequi, an verò eam, quam ipse, ut suam proponit, & quam aliis dijudicandam relinquimus. Cæterùm illius proverbialis formulæ (si fortè usurpatur à Sinis, quod nos ignoramus) sensus alius esse non potest, quàm hic; ego tibi funeralia officia persolvam.

214 Verùm, ut redeamus ad ritus Conviviorum, quales re ipsa in Ceremoniali, aut Rituali *Liki*, describuntur, quos quidem Author observationum attingere paulò antè voluit, scilicet num. 79. at nullum tamen de iis Textum ex illo *Liki* protulit; in eo libro cap. 45. describuntur ritus excipiendi hospites, atque ibi dicitur, quòd ubi Pater familias seu Herus hospiti escarum ferculũ, & vini scyphum præbuerat, statim hospes utrumque humi super storea deponebat, *ut suam erga exhibentis munus existimationem, ac venerationem ostenderet*, & hic est ritus, qui ibidem appellatur *chi*, ubi certè nulla sacrificii species deprehendi posse videtur; tum Interpres *Chin hao* de hoc ritu ait; *chi* (*seu deponere vinum*) *est quædam vocis appellatio, qua significat homo, se illud non bibisse*.

Idem etiam fit, & dicitur *Chi* in publico Civium Convivio, & in festiva solemnitate, qua adolescens primum pileum, ac Puella acum capiti imponit, ut habetur in libri *Ta ming hoei tien* to. 79. & *Kia li* tom. 2.

215 Præterea oblationes, quæ fiunt Mandarinis adhuc vivis, ob Magistratus bene gestos, in Aulis quibusdam ad eorum honorem erectis, vocantur interdum *chi*, *vel cu*, uti videri potest in lib. *ym Hiung Pu* tom. 15. circa finem, itemque in lib. *ven him cui chao* tom. 3. artic. *Hoan ye* pag. 18. & in lib. *vam sum cheu sung Ki* tom. 16. pag. 28.

216 Demum hæc est descriptio ipsius *Chi* (seu oblationis) quod fit Progenitoribus defunctis ex *Liki* c. 25. *Chi est id, quo pristina alendorum Parentum cura recolitur, & filialis in eos observantia continuatur; continuare filialem observantiam, est, eos mente fovere; dicitur autem eos mente fovere, qui nihil Cœli legi contrarium, nihil hominis rationi contrarium committit*. Nulla certè in hoc sacrificii species deprehẽditur. Qua de re etiam plura videri poterunt indicata in memoriali, quod anno superiori una cum nostro priori Summario oblatum est num. 51. fusiùs item hanc litteram *cy* juxta genuinum apud Sinas sensum exponit P. Philippuccius in suo tractatu lib. 1. in explicatione litteræ *Cy* cujus tractatus capita retulimus in Summ. prioris anni n. 6. lit. PP.

à n. 80. ad 82. 217 Secundum argumentum, quo utitur Author observationum ad probandum, oblationes Progenitoribus defunctis à Sinis factas, esse

sacri-

sacrificia, est, quòd Cæremoniæ illæ ubique numerentur inter sacras oblationes, & sacrificia, quæ spiritibus fiunt; quinimo iis plerumque præponantur,& quòd Cæremonia *Chi* dicatur esse ritus summæ venerationis; ac demum quòd eædem oblationes recenseantur inter faustos, seu felices ritus, eò quòd per illas prospera eveniant.

218 Respondemus ad hoc argumentum per partes; ac primò quidem dicimus non esse verum, quòd hujusmodi oblationes numerentur, vel reponantur à Sinis inter sacras oblationes, sed dumtaxat, quod de illis mentionem faciant, seu loquantur, loquendo etiam de sacris oblationibus, quas scilicet faciunt Cœlo seu Supremo Domino, aliisque Spiritibus, quos ipsi religiosè colunt, ex quo non magis sequitur, oblationes, de quibus hic agitur, sacras per se esse, quàm sequatur, sacrum per se esse cultum, seu honorem parentum, ex eo, quòd Cultui divino in decalogo immediatè adjungatur, aut etiam ante illum interdum in Sacra Scriptura recenseatur, ut Levit. 19. *Unusquisque Patrem suum, & Matrem suam timeat; Sabbata mea custodite, ego Dominus Deus vester: nolite converti ad idola &c.*

219 Ratio autem cur Sinæ cultum parentum, sive filialem, ut vocant, observantiam, nominare soleant statim post Cultum *Cœli*, seu Supremi Domini, eadem prope videtur esse, propter quam id in Decalogo observatur, nimirum analogia illa, quæ inter Deum, & Parentes nostros intercedit ratione originis, quæ ab utroque ducitur, à Deo quidem ut supremo rerum omnium authore, à Parentibus verò tanquam ab immediatis progenitoribus; quò spectat effatum commune inter Authores Sinenses, dicentes hos ritus esse *Pao puen chi y*, hoc est, intentionem reddendi gratias pro beneficio originis.

220 Huc accedit, quòd cum Sinæ fere toti sint in recta Regni, seu Imperii sui administratione procuranda, illam existiment ab his duobus velut principiis potissimùm dependere, Cultu scilicet Cœli, seu Supremi Domini, & Parentum observantia, quæ proinde duo conjungere perpetuò solent, juxta Confucii Doctrinam in libro *Chung yung* contentam, ubi ita habet, *qui scit Ritus sacrificandi Cœlo, & ritus oblationum, quæ fiunt parentibus, modum gubernandi regnum præ manibus habet*; quem in locum modernus Imperator in suis commentariis tom. 2. pag. 37. ita dicit. *Regula gubernandi Regnum in his ritibus consistit.*

221 Idque etiam clariùs explicat idem Imperator, prout ipsum refert Author observationum n. 163. ubi ita loquentem inducit; *Porrò facta hoc modo Supremo Imperatori oblatione, prisci reges populis significabant, se quoque Superiorem habere, quem colerent, omnesque suo exemplo ad debitam erga Superiores reverentiam exhibendam provocabant, erectis verò in progenitorum honorem aulis* (templa ipse exponit) *ostendebant, quanti facerent parentum dignitatem, omnesque ad parentes filiali pietate prosequendos informabant; quæ duo, Cultus in Superiores, & pietatis in parentes officia, cùm rectè perficiuntur, magna*

ubi-

ubique viget sinceritas, ac fidelis concordia &c.

222 Est & alia ratio, quam affert *Kia* vetus Interpres libri *Cheu Li* tom. 18. art. *ta Cum pe*, ubi dicit, quòd hominum defunctorum spiritus ponantur secundo loco inter Spiritus Cœli, & Terræ; quia homo existit inter Cœlum, & Terram; eos verò ibidem Interpres *chim* ponit tertio loco, quia vult servare ordinem dignitatis, ibidem etiam paulò infrà spiritus defunctorum primo loco ponuntur ante Spiritus Cœli, & Terræ, quia tempus faciendi eis oblationes aliquando priùs occurrit, ut ait idem Interpres.

223 Neque porrò videtur esse periculum, ne Sinenses cultum parentum cum spirituum cultu confundant, siquidem Sinenses Authores, ubicumque de illis sermo incidit, alterum ab altero studiosè secernunt, dicentes, cultum Progenitorum esse *Hiao* ideſt filialem observantiam, & fieri ad ostendendum gratum memoremque animum pro beneficio generationis, Cultum vero *Xam ti* esse summam reverentiam, seu venerationem, quemadmodum expressum est in *li Ki* cap. 10. his verbis. *Facere oblationem Xamti in suburbano terræ aggere, est summæ venerationis, facere oblationem Progenitoribus in aula parentali est summæ pietatis, seù filialis observantiæ argumentum*; Itemque in libro *Xu Kim* cap. 1. ubi oblatio *Chi*, quæ fit *Xam ti* supremo Domino, vocatur *Luj, Kiao, chai*, quæ verò fit montium ac fluminum spiritibus vocatur *vam*, quæ fit inferiorum Spirituum multitudini, vocatur *Pien*; ac rursus quæ fit Parentibus defunctis vocatur vel *yo*, vel *ti*, vel *cham*, vel *chim* juxta singulas quatuor anni tempestates, ut habet *li Ki* cap. 5. & 25. Præter commune, & usitatum apud Sinas axioma, quod & ex Confucio desumptum est, *Su Su iu Su Seng, Su vang iu Su Zun*, ideſt, *Serviendum mortuis sicut servitur vivis, serviendum iis, qui jam transierunt, sicut servitur iis, qui superstites sunt*.

ad n.83. 224 Venimus jam ad secundam partem Argumenti secundi ab Illustrissimo Rosaliensi propositi, in qua dicebatur, Cæremonia *chi esse ritum summæ venerationis*; ac dicimus, explicatum satis clarè fuisse ab ipso Confucio, in quo sensu *chi* Progenitoribus adhibitus dicatur esse ritus summæ venerationis, quando scilicet in libro *Chung yung* & alibi ait, hunc ritum esse *Hiao chi chi ye, ideſt obedientiæ filialis apicē seu supremum gradum*, quod & repetit approbatque Imperator hodiernus in Commentariis suis ad hunc Confucii locum tom. 2. pag. 36. aliique passim Sinici Authores; ex quibus etiam constat, eumdem ritum ita dici supremum in hoc genere (obedientiæ scilicet, seu honoris Parentibus debiti) ut tamen certos, & determinatos limites habeat, secundùm eam, quam Parentes, dum viverent, habebant dignitatem, seu officium, nec possit illos excedere, quemadmodum notavimus in memoriali nostro anni superioris num. 55.

225 Neque difficilior responsio est ad tertiam partem ejusdem secundi argumenti, ab Autore observationum facti, ubi dicebatur, *istas oblationes recenseri inter faustos, seu felices ritus, eò quòd per illas prosperа*

ra

ra eveniant sive in quibus post ad motum ad labia vinum, ut vocant, *faustitatis*, fiebat fausta olim apprecatio à puello defunctum, vel alium spiritum repræsentante, idque dicebatur, *recipi felicitates*, sicut è contrario infausti ritus dicuntur, qui fiunt cum planctu, & sine illa fausta apprecatione; atque inter hos primo loco numerantur à Sinis Ritus funerales, ad sepeliendum adhibiti, unde incipit tantùm vocari fausta oblatio illa, quæ finem imponit diuturno triennalis luctus ejulatui, ut habetur in lib. *Liki*: cap. 4. Omnes verò præcedentes oblationes, utpote adhuc exequiales, vocantur infaustæ; nam constat, ritus faustos in China vocari eos qui cum lætitia fiunt. *ad num.* 84.

226 Neque Sinicus Textus dicit, per hos ritus faustos *prospera* advenire, uti in margine de suo posuit Auctor observat: Sed *in iis recipi felicitatem*, idest faustam apprecationem, ut jam diximus, & de qua rursus infra dicemus; Neque idem Textus habet *in Sacrificiis*, uti vertit Author observat; cui scilicet placuit, vertere vocem Sinicam *Chi*, de qua agitur, per *Sacrificia*, ut ibi *Sacrificia* inveniret; cùm vertere sincerius potuisset, ac debuisset per vocem *oblationes*, utpote generaliorem, & à propriis cujuscumque præjudiciis, seu præconceptis opinionibus magis exsolutam, ac liberam.

227 Tertium argumentum affert Author Observationum, ad probandum, per vocem *Chi*, significari Sacrificia, ex eo petitum; *quod Patribus Societatis olim, inquit, adeò compertum fuit, literam* Chi *Sacrificium propriè dictum Significare, ut non alio sensu usurpari posse existimarint*: quâ verò ratione hoc ipsum de Patribus Societatis probat? scilicet ex Reverendissimo Patre Varo, quem „ dicit id clarè demonstrare adductis veterum, & recentiorum „ Iesuitarum testimoniis, operis sui cap. 1. art. 2. nondum edito, quem „ etiam dicit, utpote plura complectentem scitu digna, integrum ex „ Hispanico idiomate translatum in fine instar appendicis à se referri: Interim verò ipse Illustriss. Rosaliensis duos producit, haud dubiè ut præcipuos, scilicet Patrem *Buglium, vertentem vocem latinam Sacrificium per vocem Sinicam Chi*, itemque P. Emanuelem Diaz idem facientem, *affirmantemque, verum, ac proprium Sacrificium Chi soli Deo vivo, & vero competere*. *ad num.* 85. *ad n.* 86. *ad* 88.

228 Antequam Respondeamus ad Testimonia ex P. Fr. Varo allegata; Respondendum est ad duo ista, quæ producit ipse Auctor Observationi tamquam præcipua.

229 Itaque dicimus, nihil videri hæc ad rem facere, nam duo isti Patres locis adductis, non verterunt vocem Sinicam *Chi* per Sacrificium, seu propriè, seu impropriè dictum, sed solùm è converso vocem latinam *Sacrificium* reddiderunt per vocem Sinicam *Chi*, adhibitis tamen congruis declarationibus, ac determinationibus, sicut & Factum est in China circa vocem *Xim* ad significandum per illam, *Sanctus*, & alias plures; quia licet vox prior, scilicet *Chi* ex se sola

non

non significet Sacrificium propriè dictum ; nec posterior *Xim*, Sanctitatem proprie dictam, sed vox *Chi* ex se tantum significet oblationem, eamque in suo genere summè honorificam, sicut, & vox *Xim* excellentiam quamdam in suo item genere eximiã, tamẽ vocis utriusque significatio per adjunctam declarationem cuique convenientem ibi, ubi de misteriis S. Legis sermo est, & in catechismis determinatur ad sensum veri Sacrificii, & veræ Sanctitatis.

230 Atque hoc etiam modo fatemur, verum esse, ab omnibus *Jesuitis veteribus, & recentioribus usurpatam esse literam* Chi *ad significandum Sacrificium propriè dictum*, uti dicebat Author Observat. ex Reverendiss. P. Varo, poteftque ea vertendi ratio facilè comprobari exemplis innumeris & Apostolorum, & Apostolicorum Virorum, qui legem Christianam ab Hebræis ad Græcos, à Græcis ad Latinos, & à Latinis ad alias, & alias gentes cum multiplici diversissimorum idiomatum mutatione transtulerunt.

231 Ratio autem cur Jesuitæ tum veteres, tum recentiores ita usi sunt Sinica voce *Chi* ad *Sacrificium propriè dictum* significandum; licèt ea ex se non significaret, nisi oblationes quasdam honorificas, ea affertur à P. Jacobo Le Faure, quem Author observationum appellat *Apologistam Societatis* in libro de Ritibus Sinensium, quem scripsit 1668. pag. 260. quia licet in lingua Sinica suppeteret proprium nomen *stricti Sacrificii*, quod genericè, inquit, est *Kiao* aliud item insignis speciei sub illo genere contentæ, quæ est *Luy*, aliud denique proprium nomen holocausti, quod est *Chay*; nos tamen, subdit, tribus istis nominibus non utimur ad Sacrificium strictè sumptum exprimendum; quoniam illa sunt instituta à Sinis ad significandam stricti Sacrificii essentiam, una cum modo ipsius proprio inter Sinas, qui modus non idem est in aliarum gentium strictis Sacrificiis; multò minùs in augustissimo novæ legis Sacrificio; justiùs ergo, Satiùs que visum est, uti communi voce Sacrificii latè sumpti, quæ per aliam vocem *Tien Chu* ad Sacrificium strictè sumptum, & verum determinetur, quamvis, & istud quandoque per antonomasiam, & brevitatis causa *Cy* sine addito nuncupemus.

232 Hactenus P. Le Faure, ex quo liquet, quomodo, & qua ratione *Jesuitæ tum veteres, tum recentiores usurparint vocem* Sinicam Chi, *aut* cy *ad significandum Sacrificium propriè seu strictè sumptum*; ac tantum abesse, ut id fecerint, quia crederent eam vocem ex se, sive ex propria significatione apud Sinas significare Sacrificium propriè seu strictè sumptum, uti contendit Auctor Observationum post R. Fr. Varo, ut contra potiùs id fecerint, quia ea vox hoc non significabat.

233 Cæterum negamus, è converso Iesuitas tum veteres, tum recentiores reddidisse vocem Sinicam *Chi* aut *cy* per Latinam *Sacrificium strictè aut propriè dictum*, uti affirmat Author Observat. *una cum clara illa demonstratione, quam ipse tribuit R. P. Fr. Varo*; neque enim aliud

aliud probant, tot tantaque jactata ab illo testimonia, quàm fuisse aliquot Jesuitas, qui interdum, in libris, aut scriptis ad controversias non pertinentibus, vocem Sinicam *Chi*, aut *ei* reddiderunt per vocem latinam, *Sacrificium*, sine ulla tamen additione *strictè*, aut *propriè dicti*, quam proinde additionem de suo posuit pro more suo Author Observat. *ut claras suas demonstrationes* facere posset aut invenire.

234 Atque hoc etiam satis superque declaraverat ille *Societatis Apologista* P. Iacobus Le Faure in suo de Ritibus Sinensium lib. pag. „ 257. ubi sic ait: Antiquiores igitur Patres destituti propria voce La- „ tina ad explicandam oblationem purè honorificam in genere, quam- „ que Sinæ exprimunt voce *cy*, usi sunt voce Sacrificium, quæ majo- „ rem habere videbatur affinitatem, & si non identitatem cum *cy* Si- „ nico, quoad significatum, adeò, ut tò Sacrificium non sumatur tunc „ strictè pro supremo cultu latriæ, sed latè, uti & nos vocem adoratio- „ nis, quandoque strictè usurpamus pro cultu latriæ, aliàs latius accep- „ tam extendimus ad quemlibet religiosum cultum, & non nunquam „ ad ipsam eximiam politicam venerationem; Atque lata quędam vo- „ cis Sacrificii significatio & acceptio in nostra quoque Europa, & ip- „ sis sacris Codicibus non est insolens, neque in SS. PP. Audi Augu- „ stinum lib. 11. de Civitat. cap. 5. In Epistola quæ ad Hebræos inscri- „ bitur, benefacere, inquit, & communicatores esse, nolite oblivisci, „ talibus enim sacrificiis placatur Deus, & infra: Porrò autem miseri- „ cordia verum sacrificium est;

235 His accedere potest, ad ostendendam magis falsitatem assertionis Authoris Observat., quòd Jesuitarum omnium in China vetustissimus scilicet P. Matthæus Riccius Missionis Sinicæ fundator, tum ejus Socius Pater Nicolaus Trigautius longè aliter literam illam *chi*, aut *cy* intellexerunt, quàm affirmatum sit ab Authore Observat., uti videre est in Lib. *de Christiana expeditione apud Sinas*, quem quidem P. Riccius italicè composuit & *Trigautius Latinè vertit* auxitque, ac typis mandavit Romæ anno 1615. Nam ibi Lib. I. Cap. 10. pag. 107. & 108. Oblationes mortuis, & Confucio factæ describuntur sine ullo termino *Sacrificii*, & sacrificandi; Idque etiam videri potest apud P. Hurtado in tractatu scripto anno 1640. ac nuper impresso sub titulo *Informatio antiquissima*, ibi enim inter alia sic legitur §. 45. *dicere hanc actionem ita explicatam sacrificium esse, ac Idololatriam, est abuti verbis neque attendere quid sit sacrificium &c.*

236 Valde porrò notabile videtur, quod Illustriss. Rosaliensis subjungit de illo P. Diaz, quem pro se tam perperam adduxit, ac simul de Patre Intorcetta eum defendente, seu excusante, quem tamen hic Illustriss. D. priori Sociū adjunxit pro tuendo *Sacrificio propriè dicto*, idque speciali cum distinctione, quasi scilicet Illustriss. Dominus non vereretur sibi ipsi contradicere in suis etiam citationibus. Ita ergo loquitur Author observationum n. 90. Tandem eò magis extra rem, & *ad n. 89. & 90.*

H pror-

„ prorsus vana est P. Intorcettæ responsio, quod P. Diaz non solùm
„ ibi conqueritur (scilicet in libro typis Sinicis dato ubi explicat Præ-
„ cepta Decalogi) de Idololatris in commune, ut ipse ait P. Intorcet-
„ ta... sed etiam quod astutè dissimulavit de iis qui in Progenitorum
„ Templis, vel si Jesuitas audiamus, Aulis, sacrificium chi iisdem Pro-
„ genitoribus offerunt; Tum ad id probandum inducit Illustriss. Do-
minus eundem P. Diaz ita loquentem in illo suo Cathechismo, uti
„ ipse dicit, apud Patrem à Sancto Paschali: O quanta (hominum) cæ-
„ citas! multi, dum in Templis Progenitorum Sectæ Tao, & Sectæ
„ Foe vident imagines, Sacrificium, Chi, ipsis offerunt; Hactenus Illu-
striss. Rosaliensis, in eo vim faciens quod *P. Intorcetta astutè dissimu-laverit &c.*

237 Respondemus, quòd facilè fuisset Illustriss. Domino vitare multiplicem aberrationem, in quam hoc loco incidit, si librum Patris Diaz typis Sinicis datum, quem citat, vidisset, aut videre voluisset: Nam Librum illum, seu Catechismum P. Diaz nos hîc habemus, nec verbum unum ibi invenimus de templis, vel aulis Progenitorum; sic enim habet locus ille, qui indicatur, *o cæcitas! multi videntes fanorum* (Sectæ scilicet Tao, & Foe) *simulacra illis oblationes faciunt*. Neque porro in fanis sectarum illarum idololatricarum mos est ponere simulacra, vel imagines Progenitorum, sed Idolorum dumtaxat, quæ ab iisdem Sectis coluntur.

ad n. 91. 238 Post hæc totque alia similia, ab Authore observationum tam bellè deducta, ita concludit suam istam primam observationem num. 91.
„ In promptu esset, inquit, alia bene multa proferre, ad ostendendum
„ litteras *Chi* & *Cu* in expositione Patrũ Pekinensiũ Imperatori exhi-
„ bitas, nequaquam oblationes politicas, sed verum sacrificium signi-
„ ficare, sed silentio ea præterire duximus, tum ne ad examen rursus
„ vocare videremur, quæ jam à Sac. Congregatione definita sunt, tum
„ quia hactenus à nobis adducta satis superque esse putamus &c.

239 Respondemus, ex iis, quæ hactenus Author Observationum tam multa, & tam parùm, ut nobis quidem videtur, ad rem facientia, atque à vero non minùs, quam ab scopo aberrantia protulit; in promtu esse, judicare de *aliis bene multis*, unde nec possumus non probare ejus consilium de iis silentio prætereundis, *ne ad examen rursus vocare videatur Causam istam*; utpote talibus argumentis satis malè muniendam; tametsi admirabilem illam ejus confidentiam, vel securitatem simul admiremur, qua scilicet coram ista Sacra Congregatione asserere non dubitat, *esse jam definita à Sacra Congregatione illa ipsa*, de quibus pleniorem informationem ad definiendum eadem S. Congregatio expetiit, eamque ipsimet Authori observationum perinde ac nobis imperavit.

NO-

NOTÆ

In Secundam Observationem.

240 INtendit Illustrissimus Rosaliensis in ista sua secunda Observatione probare alterum punctum ex quatuor, in principio capitis secundi sibi propositis, nimirum *oblationes à Sinis factas Majoribus suis defunctis, sacras esse, seu religiosas*,& si ab illis fiant *solummodo ad prodendum erga illos amoris, ac desiderii affectum*, uti habetur in expositione PP.Pekinensium in Regio decreto contenta; Atque id probare conatur, seu potiùs, uti ipse ait, demonstrare variis mediis, petitis ab illis ipsis verbis, quibus oblationes istę, uti refert, in regio decreto describuntur. *ad n.92. & 93.*

241 *In exemplari Tartaro*, inquit, *juxta* versionem à PP. Societatis e-
,, xhibitam, non solùm dicitur has oblationes fieri ad prodendum amo-
,, ris affectum, sed etiam ad demonstrandam gratitudinem erga Autho-
,, res stirpis. Idem colligitur (subdit) ex Sinico Textu, cujus vera ver-
,, sio sic est; Ritus sacrificandi Progenitoribus oritur ex amoris affectu
,, erga Progenitores..... solùm id fit ad exhauriendum filialis pietatis
,, affectum, & memoriam.... Solùm filii, & Nepotes excitantur ad
,, gratias pro beneficio originis diuturnas agendas.

242 Hęc scilicet est tota basis,in qua Illustriss. D.suam primam demonstrationē ad Punctum,de quo agitur,pertinentem fundare constituit; ubi ante omnia notandum est, quòd ipse, ut medium facile sibi ad intentam *demonstrationem* pararet, quasi aliud agendo posuit, pro sua scilicet authoritate; *Idem colligitur* inquit *ex Sinico* textu, cujus vera versio sic est, *RITUS SACRIFICANDI PROGENITORIBUS &c.* cæteras illius omissiones,vel mutationes in prædicto textu factas deinceps, ubi opus erit, notabimus.

243 Tali basi ab Illustriss. Rosaliensi constitutâ, sic ille progreditur;
,, quidquam in his verbis reperiri,quod ad constabiliendam Patrum So-
,, cietatis de cultu politico defunctorum Sententiam faciat, prorsus
,, me latet. Nemo enim ignorat, sacrificia, & oblationes religiosas
,, fieri, vel ad obtinenda Beneficia, vel &c.

244 Respondemus, *id etiam nos latere*, qua scilicet ratione *politicus* esse possit *cultus defunctorum*, qui supponatur fieri *cum sacrificiis, & oblationibus religiosis*; quemadmodum supponitur ab Authore observationum, nobis enim evidentissimum est, id fieri neutiquam posse.

245 Vidit Illustriss. Dominus haud dubiè, seu absurditatem, seu inanitatem talis argumentationis, quare protinus velut illam deserens ita *ad n.94.*
,, subdit, sed demus, quod autem falsum esse postea demonstraturi su-
,, mus, solummodo fieri oblationes Defunctis Progenitoribus ad pro-
,, dendum erga illos amoris, & reverentię affectum, an propterea inde
,, concludes; ergo illæ oblationes nequaquam ad religiosum, sed ad

 Civi-

„ Civilem cultum spectant ? Ridicula omnino, & Dialecticæ legibus
„ contraria esset hæc consecutio.

246 Respondemus, quòd *si detur*, seu concedatur, aut supponatur, fie-
„ ri solummodò oblationes defunctis Progenitoribus ad prodendum
„ erga illos amoris, & reverentiæ filialis affectum, & memo riam, seu
„ gratitudinem erga illos, tanquam Authores stirpis, pro beneficio
„ originis, uti continetur in expositione PP. Pekinensium, & indicatum etiam paulò antea fuit ab ipso D. Rosaliensi: videtur nobis inde optimè concludi etiam secundùm *Dialectica leges*; Primò ejusmodi oblationes non esse sacrificia, juxta effatum magni Augustini à D. Thoma relatum, & approbatum 2. 2. q. 84. art. 2. ad 1. *Quis verò sacrificandum censuit nisi ei, quem Deum, aut scivit, at putavit, aut finxit.*

247 Secundò. Indidem etiam nobis videtur optime concludi, easdem oblationes ex suo fine; qualis descriptus est, & de quo solo hic agitur (quidquid interim sit de aliis circumstantiis; de quibus nos infrà) non esse religiosas, sed purè politicas, seu Civiles, cùm pro fine habeant aliquid purè politicum, seu Civile, aut humanum, qualis est observantia ac memoria, seu gratitudo prædicta, uti etiam clarè constat ex D. Thomą 2. 2. q. 81. art. 4. in corp. ubi docet, pro diversis excellentiis diversum honorem deberi; Deo quidem honorem religiosum pro summa excellentia, humanum verò Patri, Regi &c. ratione particularium excellentiarum, quæ ipsis competunt.

ad n. 95. 248 Excurrit post hæc Illustriss. Dominus in varios cultus superstitiosos, quos dicit à Sinis ad Parentes honorandos exerceri, nec minùs esse superstitiosos, etsj ad hunc finem ab illis adhibeantur; Cujusmodi imprimis esse dicit combustionem chartarum papiracearum,
„ quas in altera vita ad Defunctorum usum in pecuniam, aut aliam rem
„ convertendas arbitrantur: nihilominus, inquit, certissimum est, hunc
„ Ritum ad honorandos Parentes fieri; Id quod deinde probat tum Testimonio Patris Couplet, tum ex Lib. Patrum Societatis, cui titulus
„ *innocentia victrix*, atque ita concludit; Quid ergo obstat, quòminus
„ iidem Gentiles filiali pietatis affectu inducti, etiam Sacrificia, alios-
„ que cultus religiosos superstitiososque defunctis Progenitoribus, of-
„ ferant.

249 Respondemus: Non possumus, uti fecit antea Illustriss. Dominus,
„ dicere, ridiculā omnino, & Dilecticæ legibus contrariā esse istam Con-
„ sequutionē. Sed cum bona illius venia, dicimus, totam istam ejus argumentationem ab scopo longissimè aberrare. Non enim quæritur inter nos, an ritus ex se superstitiosi possint à Gentilibus ad honorandos suos Parentes defunctos adhiberi, ita, ut per hoc desinant esse superstitiosi; Quis enim vel primis Theologiæ, aut Religionis elementis tinctus, hoc ignoret? Sed quæstio est, An oblationes munerum, ut carnium, vini, candelarum, odoramentorum, & similium; quæ ex natura sua indifferentes esse supponuntur, & quales denique in ipso decreto Alexandri Septimi descriptæ, & permissæ inveniun-

niuntur, evadant hoc ipso superstitiosæ, quòd fiant Progenitoribus defunctis, quasi vivis, licèt fiant *solummodo ad prodendum erga illos amoris, & ac reverentiæ filialis affectum, & memoriam, seu gratitudinem erga illos, tanquam Authores stirpis, pro beneficio originis* uti in Decreto Regio habetur, teste ipso Illustriss. Rosaliensi.

250 Pergit Illustriss. Dominus argumentari similiter de sortibus, quas dicit coram *Progenitorum Tabellis ad majorem erga illos reverentiam mitti apud Sinas, ut ex ipsorum nutu, & Consilio pendere videantur, oblatis etiam interdum Sacrificiis &c. & tamen hujusce generis ritus superstitiosos non esse, nemo dixerit.* *ad n.* 96.

251 Respondemus nos similiter, ut priùs, non esse quæstionem inter nos de permittendis ad honorandos Parentes nec sacrificiis, qualia sibi videri perpetuò videtur Illustrissimus Dominus, nec superstitionibus, de quibus & extant in decreto Alexandri VII. quarto quæsito verba illa, *probibendo quidquid superstitiosum accessit* & alia verba ibidem in Responso Sacræ Congregationis *sublatis tamen superstitiosis*; sed quæstio solùm est de prædictis muneribus, seu oblationibus, quæ in eodem decreto expositæ, & permissæ fuere.

152 In eodem paralogismo versatur adhuc Illustriss. Dominus num. 97. & sequentibus, ubi probare conatur, oblationes Defunctis Progenitoribus factas ad *testificationem honoris, & grati animi*, non minus esse religiosas apud Sinas, quàm sacrificia ab iisdem facta, Cœli, Ter- *a n.*97. *ad* 103.
„ ræ aliarumque rerum spiritibus, quia nempe, inquit, non alio *præci-*
„ *puo fine* inducuntur ad offerenda *istis spiritibus* sacrificia, quàm ad ip-
„ sos honorandos, reddendasque pro accepto productionis & conserva-
„ tionis beneficio gratiarum actiones, id quod deinde variis authorita-
„ tibus latinis, & Sinicis studiosè confirmare conatur.

253 Respondemus in primis, omissas ibi fuisse ab Illustrissimo Domino certas particulas, quæ ipsi nimis incommodæ videbeantur, si conferrentur cum aliis quibusdam sequentibus, quas omnino supprimere non potuit: Nam ad *oblationes defunctis* factas omisit particulas *solummodo pro beneficio originis &c.* cùm ad sacrificia spiritibus facta posuisset istas particulas, *non alio præcipuè fine*. Sed his omissis, dicimus, videri nobis eo argumento Illustrissimi Domini, si quid probatur, probari, etiam apud nos religiosum seu sacrum esse honorem, & observantiam, seu pietatem, Parentibus nostris debitam; Quod tamen quàm longè sit à vero, & quantum ab ipsis Theologiæ principiis aberret, constare poterit legenti, D. Thomam 2.2. q.101. art.1.
„ in corp. ubi sic habet: Dicendum, quòd homo efficitur diversimode
„ aliis debitor, secundum eorum diversam excellentiam, & diversa be-
„ neficia ab eis suscepta, In utroque autem Deus summum obtinet lo-
„ cum, & quia excellentissimus est, & est nobis essendi, & guberna-
„ tionis primum principium; secundaria verò nostri esse, & guberna-
„ tionis principia sunt Parentes, & Patria, à quibus, & in qua nati, &
„ nutriti sumus; & ideo post Deum est homo maximè debitor Parenti-
„ bus,

„ bus, & Patriæ, unde ficut ad *RELIGIONEM pertinet, cultum Deo*
„ *exhibere*, ita fecuandario *gradu ad PIETATEM pertinet, exhibere cultum Parentibus, & Patriæ &c.* Tum art. 3. ad 2. *Dicendum* (inquit Angelicus Doctor,) *quòd Deus longè excellentiori modo est principium essendi, & gubernationis, quàm Pater, vel Patria, & ideo alia virtus est RELIGIO, quæ cultum Deo exhibet, à PIETATE, quæ exhibet cultum parentibus, & patriæ.*

254 In promptu erit, opinamur, applicare hanc D. Thomæ doctrinam ad argumentum Illustrissimi Rosaliensis, ac tum dicere cum eodem Illustrissimo Domino verbis, quæ ipse habet num. 99. in rem nostram tantisper conversis; *In meridiana luce cæcutiat, necesse est, qui ex his ce textibus* (Angelici Doctoris) *non intelligat oblationes Progenitoribus factas ad cultum religiosum non pertinere* sicut *oblationes factas Cælo supremo Domino, licèt ambæ fiant ad agendam ob beneficium originis gratiarum actionem*; quia nimirum, ut ait D. Thomas *Deus* (sive *Cælum*, aut supremus Dominus) *longe excellentiori modo est principium essendi, quàm Pater &c.*

255 At urget tamen Author observation: suumque illud argumentum, sive ut ipse vocat *demonstrationem* alia *demonstratione* confirmare conatur, specioso cum exemplo, ac vibratis etiam more suo non nullis in Jesuitas dicteriis: *Id certissimum* esse *Demonstrat*, inquit, *Sacrifi-*
„ *cium Kiao*, ob acceptum originis beneficium Cœlo offerri solitum,
„ cui eadem de Causa Regiæ familiæ Princeps Socius *adjungitur*; Tum
„ ad id citat librum *Liki* dicentem, res omnes à Cœlo, nepotes ab Avo-
„ rum Principe originem ducere, atque ideo conveniens fuisse, ut
„ familiæ author Supremo Imperatori socius adjungeretur in *sacrificio Kiao*; Itemque Commentatorem *Xue y* dicentem, ideo avum *Heu*
„ *Chie* in sacrificio associari Supremo Imperatori Cœlo, quia Cœli, & Avi meritum unum, & idem est; *ac propterea in libro liki*, referente P. le Faure, *juberi homines servire Cælo*, ut *serviunt parentibus &c.* quibus ita deductis Illustrissimus Rosaliensis ita exclamat; *In meridiana luce, cæcutiat, necesse est &c.* qui enim amabo unquam fieri
„ posset, eamdem oblationem *Kiao* eodem tempore, eodem in loco,
„ ab eadem persona, eodem fine, iisdemque ritibus Cœlo, & defuncto
„ parenti nuncupatam, quatenus Cœlum respicit, sacrificium haberi,
„ quatenus verò ad Progenitorem spectat, Ritum mere civilem, & politicum? Ac mox quasi res ita procederet, & à Jesuitis crederetur, in illos acriter more suo invehitur, *Hoc credant, si velint* (inquit) *Theologi illi, quibus & nota, & familiaris est ars dirigendi intentionem ad excusandas excusationes in peccatis &c.*

256 Respondemus primò, non agi inter nos, & Adversarios nostros de permittendo illo sacrificio *Kiao* dicto, nec de oblationibus Cœlo factis, neque de aliis extraordinariis, aut solemnibus, quæ à Sinis factæ sunt, aut fieri possunt quibuscumque Personis, sed solùm de oblationibus communibus, & ordinariis, quæ vulgò fiunt in China Proge-

geni-

genitoribus, seu Majoribus defunctis, quales expressę sunt, & permissæ in decreto Alexandri VII., quemadmodum jam toties à nobis significatum est, & adverti sæpius debet in gratiam Adversariornm, omnia studiosè confundentium.

257 Secundo Respondemus; insignem ibi (n.99.) fraudem (absit verbo injuria) commissam esse ab Auctore observat.,ut ansam haberet ex clamandi, invehendique in Jesuitas: dum scilicet tam expresse ibi
„ supposuit, asseruitque, idem sacrificium, seu eamdem oblationem
„ *Kiao* eodem tempore, eodem loco, ab eadem persona, eodem fine,
„ iisdemque ritibus Cœlo, & defuncto parenti nuncupari.

258 Neque enim ad ejusmodi fraudem evincendam, aliis opus est in præsenti, quam iis ipsis, quæ ab ipsomet Authore observation. afferuntur numero sequenti suarum observationum, idest 100., ubi contraria præcedentibus dicit, atque insuper nova se ipse contradictione implicat, asserens, *Victimam*, seu oblationem *Principis Avorum* esse diversam à *Victima* seu oblatione *Spiritus Cœli*, itemque *Tabellam* prioris esse diversam à *Tabella* posterioris,*ac diverso loco sitam*: *nimi-*
„ *rum*, inquit, Principis avorum, Cœlo hac in re socii, Tabella, velut
„ Cœli æmula, e regione erigitur, & illius non secùs ac Cœli spiritui
„ victima pari studio, & diligentia ante tres menses electa, lota, & signata &c. Tum refert librum *liki* dicentem, quòd non est adhibenda
„ tanta diligentia ad victimam pro familiæ Principe assumendam,quan-
„ ta in ea, quæ Supremo Imperatori offeratur, seligenda.

259 Anne igitur tot tantisque contradictionibus egent Demonstrationes Illustrissimi D. nec veritas sine istis ambagibus tueri se potest? *Est eadem oblatio seu victima*,simulque *non est eadem sed diversa pro Principe Avorum*, *& pro Cœli Spiritu*, en prima Contradictio;*eodem loco*, *ac ritu* fit illa oblatio utriusque: simulque *non fit eodem loco*, *ac ritu*, sed diverso, utpote in diversis Tabellis diversum situm habentibus. En secunda Contradictio; *Pari studio*, ac *diligentia* seligenda est utraque victima, simulque *non est adhibenda tanta diligentia &c*: En 3. Contradictio.

260 At nihilo tamen minùs redit Author observat. num. 104. ad suam illam priorem assertionem aut suppositionem *de eadem oblatione*, ac *victima*, utrique, scilicet Principi Avorum, & Cœlo factâ; allato ad eam rem exemplo Sacerdotis, qui Sacram Altaris victimam Deo simul & suis defunctis Parentibus ob beneficia ab iis accepta offerret, id quod nullo modo ad rem facere satis superque constat ex iis, quæ proximè diximus.

261 Cæterùm quod spectat ad sacrificium illud *Kiao*, tam infideliter, tantisque cum contradictionibus ab Authore observationum relatum, res ita describitur in Rituali *liki* cap. 11. nimirum, quod Impetor, quando supremo Domino sacrificabat, ex latere simul habere solebat in tabella descriptum nomen fundatoris familiæ regiæ, ante quod varia alia munera apponebantur; Rationem hujus facti dant In-

ter-

terpretes Sinæ, quòd ſcilicet nomen fundatoris familię apponebatur propter quandam analogiam, quę eſt inter Supremum Dominum rerum omnium Auctorem, ac magnum Parentem, & inter fundatorem, ac primum Parentem familiæ Regię.

262 Atque ibidem magnum inter utrumque cultum diſcrimen aſſignatur, nam ipſi *Xang ti* vitulus oblatus comburitur, nullus talis ritus fit erga fundatorem familiæ; Tum vitulus qui *Xang ti* immolatur, debet priùs trimeſtri ſpatio in mundo Aulæ loco eſſe ſeparatus: Vitulus verò, cujus carnes fundatori familiæ apponuntur, quivis paratus adhiberi poteſt, *ut ſic diſtinguatur* (ait citatus liber *liki*) *cultus, quo ſervitur Cæli Spiritui, ſeu Xang ti, ab illo, quo ſervitur defuncti hominis Spiritui*, & Interpres *Chin Hao* ibi addit, *Princeps Cie* (qui erat fundator familiæ) eſt hominis defuncti Spiritus; ideo ſufficit, ut tantùm quivis vitulus paratus pro eo adhibeatur.

263 Quæ quidem eum in finem dicta duntaxat volumus, ut repellatur confuſio ab Authore obſervationum inducta, ſimulque inde appareat, non ita permiſceri unquam à Sinis ritus Progenitorum ſuorum cum ritibus Spirituum Cœli, & Terræ, ut illos non ſatis notabiliter inter ſe diſtinguant, contra quàm contendat Illuſtriſſimus Roſalien. ex prætextu comparationis, quam Sinæ faciunt inter parentes ſuos, & ſupremum Dominum, ratione originis, ſeu productionis, ac gubernationis, cùm quod multò majus eſt, nobis ipſis eadem occurrat in ſacris literis, & SS. Patribus, ac nominatim in D. Thoma locis paulò antè relatis.

264 Mittimus, quod minùs fideliter etiam citarit Author Obſervat. Patrem Jacobum Le Faure eo n. 100. ubi illum adduxit abſolutè fatentem, Sinas non manifeſtè aſſequi, ac diſtinguere formalitates iſtas principii gubernationis, & ſimiles, quibus virtutes ſpecificantur, quaſi per id ſignificaret P. Le Faure, cultus iſtos parentum, & Cæli à Sinenſibus pro uno eodemque haberi; Nam P. Le Faure pag. cit. ſcilicet 265. Sic inquit, *quamvis porrò Sinæ &c.* dein ſubjungit, ,, quod omiſſum eſt ab Authore Obſeru. Iſtud tamen abundè nobis eſt, ,, quòd oblationes ejuſmodi erga eos inſtituerunt, quos iſtiuſmodi do- ,, tibus inſtructos norunt, quo loquendi modo ſatis indicat, non mi- ,, nus cultus illos à Sinis in praxi diſtingui, quam iidem aut ſimiles cul- ,, tus ab hominibus vulgi inter nos diſtinguantur; Verùm in infinitum abire neceſſe foret, ſi vellemus omnia notare, quæ in his Obſervationibus notanda occurrunt.

265 Affert deinde aliqua Author Obſervat. ex occaſione prædicti Sacrificii *Kiao*, quæ non tam ad præcedentia confirmanda afferri videntur, quàm ad captandam occaſionem inſectandi acriùs Jeſuitas propter cognitionem Dei, ab ipſis attributam, & ab Illuſtriſs. Domimino negatam Sinis in primo capite ſuarum Obſervationum; *Ad hæc* ,, *accedit*, inquit num. 101. quod eodem in Sacrificio Jovem illum Si- ,, nicum, ejuſque Socium ordine ſubſequitur univerſa cæli militia &c.

poſt

„ post quæ ita exclamat ; & hic ille ritus , illud ipsum est Sacrificium,
„ quod Patres Societatis, ne Sinicum systema ab ipsis adinventum cir-
„ ca supremum Imperatorem deserere cogantur , Deo vivo , & vero ,
„ in summum Religionis Christianæ dedecus offerri coram Sancta Dei
„ Ecclesia asserere non erubescunt ; tantum potuit suadere malorum
„ semel suscepta propriæ opinionis, quamtumvis absurdæ defensio .

266 Respōdemus:quidquid à Sinis intelligatur,aut intellectū fuerit sub illa Spirituum multitudine , quos simul colunt cum *Xamti* supremo omnium Domino , seu veri , seu ficti Spiritus sint , qua de re non est hic disputandi locus , Respondemus , inquam , mirum nobis videri , quod tantopere , & tam sæpe excandescat Illustris. D. adversus illos Missionarios , qui eandem Missionem eo ipso medio , quod illis crimini vertit , fundarunt , viamque ei aperuerunt ad illam ingrediendam , & quantum ipse voluit , excolendam , postquam videre propriis oculis potuit , quod tam ingenuè testatus est Illustrissimus Berithensis , se suis vidisse , id quod jam retulimus in primum caput istarum observationum , scilicet , *multos in China conversos esse , videndo in suis libris antiquis fundamentum talium assertionum* de vocibus *Tien* & *Xamti* , Deum vivum & verum apud Sinas significantibus ,

267 Nam eò demum reducitur totum illud Sinicum systema circa *supremum Imperatorem* , quod bilem adeò movit Authori Observationum , & illud quidem *non fuit à Patribus Societatis inventum* , uti excandescendo fingit Illustris. D. sed in antiquis libris Sinicis repertùm , uti cum sua solita moderatione juridicè testatus est Illustris. Berithensis , atque etiam nuper publica , & authentica declaratione confirmatum , uti constat ex ipso decreto Imperatoris Sinarum , cui certè systemati , seu assertioni non magis obstare videtur , quòd Sinę superstitiosè colant,coluerintue supremum Dominum *Xam ti*; & una etiam cum illo alios quosdam inferiores Spiritus seu veros , seu fictos , quàm obstiterit cognitioni , quam habebant Samaritani de vero Deo , cultus eorumdem superstitiosus , etiam cum cultu falsorum Deorum,seu Idolorum conjunctus , ut satis constare videtur ex dictis suprà .

268 Sanè siquid est , *quod coram Sancta Dei Ecclesia asserere erube-*
„ *scendum sit* , hoc præcipuè nobis esse videtur , nimirum , quòd omni
„ veri Dei cognitione destituta fuerit Natio integra , eaque tanta , seu
„ tam ampla,quāta est Sinensis,idque per multa annorum millia;Hanc
nos assertionem,sive, ut voce utamur Illustris. Rosaliensis, *hoc Systema*,non solùm tanquam *opinionem absurdam* exhorrescimus , verùm etiam , ut propositionem Sacris literis , Sanctis Patribus , universæ Teologiæ , ac juri naturæ contrariam ; adeoque eam Apostolicæ Sedi humiliter deferimus ac denunciamus .

269 Postquam Illustris. Rosaliensis diu , ac parùm feliciter , uti hactenus vidimus , argumentatus est , ex verbis in Decreto Regio con- *ad n.104. & 105.*

 ten-

tentis, ad ostendendum, cultum oblationum, defunctis Progenitoribus à Sinis factarum, quæ ibi describuntur, sacrum esse, & religiosum, nunc ad alia se convertit media, quibus idem demonstrare more suo contendit, uti liquere potest vel ex ipso titulo, quem in margine posuit ad num. 104. & qui sic habet; *Demonstratur, Progenitores iisdem coli Ritibus, quibus alii Spiritus seu DII SINICI coluntur.*

270 Ubi notari inprimis potest, quomodo idem Dominus, ut jam oblationes istas religiosas esse demonstret, *DEOS* clarè supponat à Sinis *Coli*, & agnosci, cùm illos antea atheos prorsus, & omni Dei cognitione destitutos fecerit.

271 Deinde esto, *Progenitores iisdem colantur ritibus, quibus alii Spiritus, seu Dii Sinici coluntur* (iisdem inquam in multis, non in omnibus) an propterea conficitur, illos coli, & agnosci, tanquam Deos? cùm constet, plures ex ritibus exterioribus, quibus Deum optimum maximum colimus, eosdem planè esse exteriùs cum iis, quibus puras etiam Creaturas colimus, quin illas pro diis habeamus, aut eâ de re culpari possimus, uti docet S. Thomas 2. 2. q. 84. art. 1. ad 1. ubi sic ait, *& quia ea, quæ exteriùs aguntur, signa sunt interioris reverentiæ, quædam exteriora ad reverentiam pertinentia exhibentur excellentibus Creaturis, inter quæ maximum est adoratio*. Tum subjungit; quòd *Secundum reuerentiam quæ Creaturæ excellenti debetur, Nathan adorauit Dauid, secundum autem reuerentiam, quæ debetur Deo, Mardochæus noluit adorare Aman &c.* Cùm & constet, eosdem illos ritus ita exerceri à Sinis erga Progenitores, ut expresè profiteantur, se nullam in iis agnoscere divinitatem, aut potentiam humanâ majorem, declarando *se ab illis nihil sperare, nihil petere*, ac se facere illis tales oblationes *solummodo ad exhauriendum filialis pietatis affectum, & memoriam pro beneficio originis erga Authores stirpis*, quemadmodum expressum est in Regio Decreto, & pluribus insuper in nostro secundo Summario ostendimus locis citatis in memoriali n. 27. & seqq.

272 Congessit Illustriss. Rosaliensis ad suum illud intentum, quid quid in libris sive Europæorum sive Sinarum invenire potuit, vel superstitiosum, vel superstitionis speciem habens, licèt ad illa vel omnia, vel pleraque sæpius responsum fuerit.

273 Itaque dicit 1. ex P. Brancati, à Sinis *animas hominum & Angelos vocari XIN seu spiritus*.

274 Respondemus, etiam in Sacra Scriptura animas nostras appellari Spiritus, sicut, & Angeli, & Deus Spiritus vocantur, ut 1. Petr. 3. *Iis, qui in carcere erant, SPIRITIBUS veniens prædicavit.* An propterea quis inde rectè inferat, ergo à Christianis coluntur Animæ defunctorum sicut coluntur Angeli, & Deus? hujus scilicet generis est argumentatio Authoris observationum, qua *demonstrat* defunctos Progenitores coli à Sinis ad instar *Deorum Sinicorum*, quia illorum animæ Spiritus appellantur, sicut & isti.

275 Di-

275 Dicit 2. Sinas famoso *Kuei Xin* nomine passim insignire suos Progenitores, ac profiteri se iis inservire, ut in solemni precatione *Cheu Kung* erga suos Progenitores, tum de Spiritibus *Kuei Xin* dici in *Liki*, quòd clarum sortiti sunt nomen (scilicet *Kuei Xin*) ut essent populorum directores &c. Atque his similia dicit Author observ. num. 3. 4. 5. & 6. *à n. 106. ad 110.*

Respondemus, similem videri istam argumentationem priori; licèt enim omnes spiritus, etiam defunctorum appellentur interdum nomine *Kuei Xin*, aut *Ming Xin* apud Sinas, non tamen sequitur, quòd quidquid dicitur de aliquibus illorum, dicatur de omnibus, sicut nec quidquid apud nos dicitur de Spiritibus Sanctis Angelorum, aut animarum, de reliquis similiter est intelligendum: nisi velimus Sinas eò, non impietatis solùm, verùm & dementiæ devenisse, ut pro talibus habeant quorumcumque Progenitorum suorum Spiritus, pro *directoribus* scilicet *Populorum, qui apicem in rebus componendis attigerunt, quos omnes timere debeant, qui eâ demum reverentia digni sint, qua major excogitari nequeat, & similia*; quæ proinde cùm dicuntur de Spiritibus *Kuei Xin*, in locis ab Authore observationum relatis, & aliis, qui referri possent, constat non de omnibus esse intelligenda.

276 Dicit 7. Author observationum ex *Liki*, & ejus Comentatore, hoc esse discrimen inter Cultum Parentibus vivis, & cultum iisdem mortuis exhibitum, quòd ea quæ vivis apponuntur, priùs à pio filio degustari solent, è contrario nefas reputant, mortuis degustati jam cibi reliquias offerre, quia jam coluntur veluti spiritus; *Po Kan y ijn chi ju sung Xin*. *ad n. 111.*

277 Respondemus neque hinc inferri, quod intenditur ab Illustrissimo Domino; Nam sensus harum vocum Sinicarum hic est; *Non ausim cibi reliquias offerre Spiritui, idest defuncto*: Vox enim *Xin* sæpe idem sonat, ac defunctum, ut constat ex *Sim li ta Civem* tom. 6. p. 7. Dum enim Pater vivit, filius cibos, & pharmaca prægustat, veritus ne noceant ejus vitæ, post mortem verò, cùm illi nocere ampliùs nequeant, si prægustaret, censerentur reliquiæ; ideo non audet ea prægustare: En totum mysterium; & quid hoc ad cultum religiosum?

278 Dicit 8. Illustriss. Dominus ex *Liki* cap. 21. *Templa Progenitorum, & utensilia, quæ in eorum sacrificiis* (sive oblationibus) *adhibeantur, olim cruore liniri solita fuisse, & Templa*, quidem uncta fuisse ex veteri Commentario *ad Spirituum habitationem consecrandam, vel ad literam, ad eam spiritalem efficiendam, y Xin chi*. Tum adducit P. Augustinum à S. Paschali, dicentem, hodiedum Templa Progenitorum, sicut & Templa Idolorum, eorumque Tabernacula Sanguine Gallinæ inungi, seque ipsum id propriis oculis vidisse. *ad n. 112.*

279 Respondemus, hanc unctionem aularum, sive ut Authori observationum placet, Templorum Progenitorum, non fieri hodie; ac de hoc sæpe interrogati à nobis Sinæ constanter responderunt, in usu non esse; unde nec ponitur in libro *Kiali*, seu rituum domesticorum;

Neque videtur olim factum fuisse, nisi in funeralibus Imperatorum, aut Regulorum aulis, ut ex citato *Li ki* colligitur; siquos ergo viderit P. à S.Pascali, id etiamnum facientes, fortè illi erant Idololatræ, aut alii quidam particulares, ex privato ritu id facientes; neq; si id re ipsa in China frequentaretur; debuisset Illustriss. Dominus ad oculos, aut Testimonium Europæi confugere, ipse in China existens, sed vel ad proprios oculos, vel ad testimonium Sinensium tum infidelium; tum etiam fidelium; Neque demum voces illæ *y Xin chi* consecrationem significant; sed rem solùm ad Spiritus, seu defunctos pertinentem; neque id etiam videtur ullam habere similitudinem cum *Spirituum*, seu Deorum, aut Divorum Sinicorum (ut eos Author observationum vocat) cultu; Siquidem in libris classicis nuspiam reperiuntur sic unctæ aut illitæ ædes spirituum Cæli, Terræ, Montium fluminum &c. quibus utique oblatio in solis terræ aggeribus, Sinicè *Tan*, facienda præscribitur; Accedit, quòd solebant olim Sinæ varia illinere sanguine ad effectus purè naturales, ut novas campanas ad obturandas rimulas, uti habetur Lib. 1. Memcii Cap. 1.

280 Denique quoad utensilia, seu vasa, de quibus hoc etiam loco loquitur Author observat. dicit liber *Singli* tom. 21. p. 16. illas oblationes fieri nunc communiter cum vasis, quæ quotidie ad edendum, vel bibendum adhibentur; Idemque affirmatur in Rituali *Kiali* Lib. 7. p. 4. & 5.

ad n.113. 281 Dicit 9. Author observationum ex citat. *Li ki*, jejunia, aliarumque etiam rerum abstinentiam præscribi ante oblationes, sive, ut ipse dicit, sacrificia Progenitoribus facienda, *ac tum posse cum claris spiritibus communicari*.

282 Respondemus, hunc esse ritum, qui à Sinis nomine *chai* indigitatur, nec aliud est, quàm abstinentia à certis rebus, quæ mentem animumque distrahere magìs creduntur, qui & illis præscribi solet, cùm negotium aliquod majoris momenti agendum est, quod specialem aliquam attentionem desiderat, ita, ut alium finem non habeat apud illos, quàm hujusmodi attentionem, seu dispositionem ad illam, uti testatur Comentator *Li ki ta Civen* tom. 3. pag. 63.

283 Hinc præscribitur hic ritus in eodem *Li ki* cap. 13. tom. 6. cap. *yo: cao* illis, qui ad alloquendum regem accessuri sunt; Item *Ly ky* tom. 3. cap. *vang chi* dicitur Imperator observare hoc jejunium *Chai* priusquam admonitiones circa suum regimen à Præfectis accipiat: Idemque refertur Lib. *ven Hien Tung Cao* tom. 47. pag. 7. In eodam loco *Li ki* dicuntur primi Ministri (*Colao* appellati) observare hoc jejunium, antequam sub finem anni publicarum expensarum rationes, Imperatori exhibeant, & in libro *Taming Hoei Tien* in classe *Lypu* Lib. 33, pag. 3. idem etiam ritus præscribitur Præfectis, antequam statis anni temporibus solemnes congratulationes mittant ad Imperatorem; In historia regiæ familiæ *Sung* auctore *To To* Lib. 116. p. 8. Imperator ante solemnem susceptionem regii sigilli idem jejunium, ob-

observasse legitur, & in libro *ven Hien Tung Cao* tom. 47. Mandarini, dum de eorum defectibus inquiritur; In libro *Xu King* tom. 6. idem observandum mandatur omnibus subditis, dum magni momenti mandatum regium ad eos defertur.

284 Præterea Lib. 1. Mengcii cap. 4. p. 2. hospes, antequam hunc Doctorem Mengcium adiisset, se dicit jejunasse, & in Lib. *Lun,yu* art. 14. Interpres *chu Hi* refert, Confucium, cùm Regulum suum de aliqua re monere vellet, priùs jejunasse, & lavisse Corpus, nempe ad Cor, & Corpus rite disponendum.

285 Ex quibus omnibus satis apparet, quàm minimè religiosus sit ritus iste apud Sinas; Atque id etiam speciatim pro eadem Ceremonia ad defunctos pertinente apparere potest ex ipso fine, quem ex libro *Li ki* expressit R. P. Varo Cap. 4. art. 3. pag. 21. ubi; postquam dixit, ex septem diebus abstinentiæ præscriptis ante solemnes oblationes, quę fiunt Progenitoribus defunctis, *tres esse exteriores, non comedendo Carnes, neque pisces, non bibendo vinum, nec audiendo Comedias, & abstinendo à thoro conjugali, subjungit, esse quatuor interiores, cogitando de suis Progenitoribus Defunctis, de verbis ipsorum, de iis, quæ comedebant, & operabantur &c.* uti relatum fuit, & expensum à Nostris in ulteriori *expositione facti* dub. 7. §. 176. quemadmodum etiam repræsentatum fuerat ab Illustriss. à Lionissa in suis responsion. ad S.C.P. relato in expositione facti, ubi de simili Cæremonia agebatur.

286 Neque porrò magìs obstat, quòd adjunxit Author. observat. de *intenta communicatione cum claris spiritibus.* Siquidem aliud non est, juxta usitatam Sinarum phrasim, *communicare cum claris spiritibus*, ubi de his cæremoniis agitur, nisi ita *celebrare hujusmodi ritus ex Corde, ac reverenter, ut videatur parentum spiritus adhuc aliqualiter in filio remansisse*, uti explicat Doctor *Chu vuen Kung*, apud Illustriss. Lopez Dominicanum, Sinam, & Episcopum Nankinensem, qui illam explicationem refert, & approbat cap. 4. nu. 53. Tractatus à se compositi, & approbati, & aucti ab Illustriss. D. à Lionissa, uti etiam dictum est in ulteriori expositione dub. 10. §. 243.

287 Dicit 10. Author Observationum, Tabellas Progenitorum simillimas esse iis, quæ ex prisca disciplina Spiritibus eriguntur, & literas istas *Xin goei*, aut *Xin chu*, quæ illis inscribuntur, *Sedem Spiritus, certò certiùs* significare. *adn. 114.*

288 Respondemus, neutrum esse verum; Nam primò libri classici non dicunt, Sinas ad colendos olim Spiritus Cœli, & Terræ adhibuisse tabellas ligneas, quales sunt istæ Progenitorum, videturque id erui ex ipsa Tabellarum istarum origine, quam sic refert liber *Ven hien tum Kao* tom. 123. *Tabella ex ligno construitur, quia lignum habet aliquam cum homine similitudinem, utpote vivere incipiens, & desinens*; Spiritus autem Cœli, & Terræ juxta literatorum Sinensium doctrinam non desinunt, nec moriuntur; Item pro Spiritu Cœli, ac terræ, seu *Xam ti* non solet poni *Xin Guej*, sed tantummodo ponitur *Hoang*

Tien

Tien Xam Ti, uti expresſè habetur in tabella ſculpta in libro *Ta ming Hoei Tien* tom. 82., neque eadem inſcriptio ordinariè ponitur pro Spiritibus regionis, frugum, montium, fluminum, ventorum &c. ſed ponitur dumtaxat *Xin*, ut *Tay Xe, chi Xin* Spiritus regionis: *Tay mim chi Xin*, *Spiritus Solis*, uti videre eſt in libro *Ta mim hoei Tien* tom. 82. & 85.

289 Præterea tabella, quæ in memoriam defuncti erigitur, habet inſcriptum nomen familiæ, & nomen defuncti, nomen item ejus honorificum, officium, quod geſſit, dignitatem quàm habuit, gradum Aſcendentis; parentis, vel avi &c. in quo eſt, ætatem item, & tempus mortis, ad latus inſuper apponitur nomen filii, qui poſuit talem inſcriptionem, & qui ſe *Hiao çu*, hoc eſt filialis obſervantiæ in parentes memorem appellat; Hæ omnes inſcriptiones manifeſtè indicant, parentes defunctos ſolùm ut homines, ſecundùm id, quod fuerunt, coli, & tales tabellas in eorum ſolùm memoriam erigi, unde etiam apparet, quanta inter has tabellas, & illas, quæ ſpiritibus quandoque ponuntur, differentia intercedat.

290 Inſcriptio etiam *Xin goei*, aut *Xin chu* in Tabellis Progenitorum, nil aliud ſignificat, *quàm defuncti memoriam*, *ſeu repræſentationem*, uti pluribus oſtenſum eſt in expoſitione facti, à noſtris Patribus olim exhibita, non ſolum ex Teſtimoniis Miſſionariorum noſtrorum (inter quos P. Philippuccius in *Præludio* impreſſo cap. 1. teſtatur, ſe in Sinicis libris volutandis inveniſſe triginta nomina diverſa hujus Tabellæ, quæ omnia defuncti *repræſentationem* ſignificant) ſed etiam ex Teſtimonio Illuſtriſſimi D. Gregorii Lopez Sinæ, Dominicani, Vicarii Apoſtolici, & Epiſcopi Nankinenſis, in ſuo tractatu approbato, & aucto à Reverendiſſimo Domino de Nicolais à Lioniſſa cap. 4. itemque ex ſingulari Teſtimonio ipſius Domini de Nicolais in ſuis reſponſ. ad quæſt. S. C. P. ſuper 4. punct., ubi poſtquam dixit, literam *Goei* ſignificare *thronum*, *ſedem*, ſubdit illam habere alias ſignificationes, atque *in loco præſenti ſolùm*, ait, *poſſet illa habere tertiam ſignificationem ſupradictam, hoc eſt repræſentationis, ac velut imaginis*; Tum id probat ex uſu erigendi ſimiles Tabellas in honorem vivorum; ubi certè litera *Goei* non aliud ſignificare poteſt, quàm repræſentationem talis perſonæ, utpote quam certum, & notum omnibus eſt, non in tali tabella, ſed alibi exiſtere; additque id fieri à populo in ſignum memoriæ & gratitudinis.

291 Idem Illuſtriſſimus inferiùs in iiſdem reſponſ. loquendo de inſcriptione Tabellæ Defunctorum, quam dicit eſſe *Xin goei*, aut *Xin chu*, expreſsè dicit, ſe illam inveniſſe in Rituali *Kiali* explicatam *de figura, aut imagine Spiritus, e l' hò trovata ſpiegata nel Rituale Kiali per figura ò imagine dello Spirito*; Idque etiam olim agnoviſſe, & approbaſſe videtur Sacra Congregatio in ſuo Decreto anno 1645. quando ad quæſita 11. & 12. R. P. Fr. Joannis Baptiſtæ de Morales Dominicani reſpondit, *non licere habere illas Tabellas in vero, & proprio Al-*

tari

tari majoribus dicato, POSSE VERO TOLERARI, posito quòd mensa parata sit quædam tabula &c.

292 En quomodo *certò certiùs* est, scilicet verum non esse, literas istas *Xin goei*, & *Xin chu* in Tabellis Progenitorum inscriptas significare *Spiritus sedem*; uti dicebat Illustrissimus Rosaliensis, suas toties *certitudines*, & evidentias, aliis prorsus incognitas objiciens, quem certè mirum est, vel non legisse, vel non advertisse locum illum Ritualis *Kiali* sibi aliunde tantopere familiaris, in quo contrarium tam expresse asseritur ex ipso testimonio Illustrissimi de Nicolais, qui dicit, se illud legisse; at debuit saltem Illustrissimus Rosaliensis legere suum Dictionarium Sinicum in litera *chu*, ubi invenire potuit, quod litera, *chu*, significat *intentionis scopum*, *y So chu*, idest objectum aliquod sensibile, in quo parentantis animus figitur, aut hæret, ut ait Doctor *chin hao* in lib. *liki* cap. 4.

293 Nec demum idem Illustrissimus in tanta sua apud Sinas mora, & cum tanto studio perdiscendi Sinicos mores, ac ritus, potuit, aut debuit ignorare usum illum in China receptum, erigendi vivis similes Tabellas cum inscriptione ejusdem literæ *Goei*, in signum memoriæ & gratitudinis, uti dicebat Illustrissimus de Nicolais.

294 Multò autem minùs debuit Illustrissimus Rosaliensis ignorare usum Tabellarum nomine Regis, seu Imperatoris viventis inscriptarum, aut Tabernaculi cujusdam, quod intra Mandarinorum aulas exponi solet, ut ante illud Mandarini prostrati reverentiam exhibeant viventi Regi, quod vulgò vocatur *lum tim*, & *Xim ço*, & *Xim Goei*, idest ad literam juxta intentionem Authoris observationum; *Regis sedes* seu *thronus*, aut etiam *Xim chi*, idest, *Regis voluntas*, Talia si scivisset, aut vidisset Illustrissimus Dominus, haud dubiè pro sua æquitate, ac bona fide dixisset, eis esse *simillimas Progenitorum* defunctorum Tabellas, non item iis, *quæ ex prisca disciplina Spiritibus eriguntur*.

295 Dicit 11. Author. observat., idque etiam in margine sui libelli posuit, *vix ullum esse erga Cælum, Terram, aliosque Spiritus, reverentiæ & religionis signum, quod erga Avos non adhibeatur à Sinis*; Tum varia enumerat Rituum genera, in quibus voces Templorum, & Sacrificiorum de suo perinde ponit pro aulis, & oblationibus Progenitorum, ac pro Diis, Divisque Sinensium indubitatis. *ad n.115.*

296 Respondemus; id esse omnino à vero alienum, uti clarè constabit ex sequentibus; Nam in primis constat, Cœli, ac Terræ Spiritibus, juxta sectæ litterariæ ritus, fieri sacrificia, aut oblationes in aggeribus, Sinicè *Tan*, sub Cœlo aperto, ad recognoscendam cœlestem illorum naturam, ac velut divinitatem, aut potentiam humanâ majorem, adeòque etiam ad petendum, & obtinendùm ab illis auxilium, quod ab eis sperant; at verò defunctis Progenitoribus fiunt oblationes in ædibus clausis, aut super eorum sepulchris, *idque solum ut eâ ratione exprimatur, quantum potest, summus in propinquos affectus, &*

ad

ad demonstrandum debitum amorem, ac reverentiam erga illos, nec non gratitudinem erga Authores Stirpis, aut gentis suæ, uti habetur in expositione PP. Pekinensium, decreto Regio contenta, & approbata, nil proinde petendo, aut sperando ab illis, nullamque adeò divinitatem, aut potentiam in illis agnoscendo.

297 Estque in hoc notabilis D. Thomæ Doctrina 2. 2. quæst. 84. art. 1. ad. 1., ubi docet, quædam exteriora ad reverentiam pertinentia exhiberi Creaturis, perinde ac Creatori, inter quæ *maximum*, inquit, *est adoratio*, quæ proinde secundum se indifferentia sunt ad cultum Divinum, & humanum, seu ad religiosum, & politicum, uti idem ibidem fusiùs declarat, *sed aliquid*, subdit, *est, quod soli Deo exhibetur, scilicet sacrificium*, quo nimirum *recognoscitur Dominium aliquod supremum cum potentia adjuvandi, ac dirigendi*, uti habet idem S. Doctor in 2. 2. q. 85. art. 1. in corp. Sic ergo constat, quàm longè distent oblationes à Sinis factæ suis Progenitoribus defunctis, ab illis quæ fiunt Spiritui Cœli, ac Terræ, aliisque spiritibus, & quo modo priores non sint signa religionis, secùs posteriores, nempe hi ritus sunt inter se substantialiter diversi, ut patet.

298 Deinde verò pro Cœli, ac Terræ Spiritu Vitulum cremat Imperator, ut habet liber *Ta Ming hoei tien* tom. 81. & in Sacrificio Terræ animal, aliaque pretiosa tumulantur, ut habet liber *liki* cap. 23.; at hæc non facit erga suos Progenitores Imperator, nec alii.

299 Dicit Author observat. *Coram Progenitoribus haud secùs, ac coram spiritu Cæli, sortes mittunt*, qui & in margine ponit *passim*, quasi hoc esset communissimum.

300 Respondemus; Rituale *Kiali* tom.7.expresè,dicit id non opus esse pro Parentum oblationibus.

Dicit Author observat. *iisdem Progenitoribus, quemadmodum Cæli, Terræque Spiritibus, res quas acturi sunt, oblatis etiam interdum sacrificiis significant*, additque iterum ad marginem *passim*.

301 Respondemus, Imperatorem, qui solus sacrificat Cœli Terræque Spiritui, ideſt *Xam ti*, non erga ipsum *Xam ti* hanc facere significationem, sed solùm erga avum suum, tanquam nepos scilicet obsequiosus faceret erga viventem, ut habet liber *Ta Ming hoei tien*, tom.82. & *liki* cap. 5. 6. & 7.

Ex quo etiam ruit, quod subjungit Author Observationum de *Imperatoribus Sinarum, cùm Imperium perlustrant, aut ad bellum proficiscuntur, nuntiantibus suum consilium, itionem, & reditum Cælo, Terræ & Progenitoribus*; Non enim talia ab Imperatoribus nuntiantur, seu significantur ipsi *Xamti*, seu Cæli, ac Terræ Spiritui, ut dictum est, sed solis Progenitoribus, idque per meram cæremoniam, ad conservandam consuetudinem, qua solent filii vivis parentibus omnia sua gravioris momenti negotia significare, juxta commune illorum axioma, *Serviendi mortuis sicut vivis*: Interim verò Cæli, ac Terræ spiritui seu *Xamti* ab Imperatoribus sacrificatur ad felicem

suc-

succeſſum, non verò Progenitoribus.

302. Author Obſervat. facit deinde mentionem de veſtibus, quas dicit ab Imperatore adhiberi in Sacrificiis Cælo, & Progenitoribus offerendis, & à Regina, & Præfectorum Uxoribus confici è ſericis, diligenter eum in finem præparatis.

303 Reſpondemus, præterquam quòd jam dictum eſt, Sacrificia ab Imperatore non offerri Progenitoribus, ſed ſoli *Xamti*, ſeu Cæli, & Terre ſpiritui, conſtat veſtes, quæ paſſim à Sinis adhibentur ad oblationes Progenitorum ſuorum, alias non eſſe, quàm honeſtiores, quibus Sinæ in aliis functionibus politicis communiter utuntur. *Primarii Præfecti*, ait Interpres *Chin hao* in lib. *Li Ki* cap. 11. *in oblationibus induunt veſtes aulicas*; idemque ex aliis Sinenſibus Authoribus paſſim oſtendi poteſt.

Author Obſervationum dicit, Imperatorem, dum venationi indulget, quod captum eſt, Progenitoribus, & quinque Domus partibus offerre.

304 Reſpondemus, oppoſitum haberi in *Liki* cap. 6. ubi præſcribitur, ut captas venatione prædas jubeat Imperator in agro ſuburbano offerri ſpiritibus quatuor mundi partium, non verò Progenitorum, nec quinque Domus ſpiritibus.

305 Author Obſervationum dicit, ſingulis diebus Progenitorum templa adiri &c.

Reſpondemus conſtare nobis omnino de oppoſito.

306 Dicit Author Obſervationum, *Iiſdem* Progenitoribus *quidquid proſperè ſucceſſit, præmia, dignitates & quodvis proſperitatis genus, tanquam ab eis*, & hoc quidem ob acceptam ab iis originem, & educationem *profectum referunt*; Atque ibi ad marginem ponit *Paſſim*, qua voce ſignificat hunc eſſe communiſſimum Sinarum ſenſum.

307 Reſpondemus hoc eſſe veriſſimum, neque videri nobis quidquam expreſſius afferri potuiſſe, ad confirmandum id, quod toties aſſeruimus, tanquam cardinem hujus controverſiæ; nimirum *quòd Sinæ, non alio titulo revereantur Progenitores ſuos defunctos, quam titulo originis, & educationis ab iis acceptæ, neque ab illorum ope præſenti quidquam ſperent, & quod is ſit communis ac publicus ſenſus Sinarum*, atque id totum prorſus ita eſſe, luculenter teſtatur Illuſtriſſimus Roſalienſis, dum ait: Sinas *quidquid proſperè ſucceſſit, præmia, dignitates, & quodvis proſperitatis genus* (nihil penitus excipiendo) *Progenitoribus ſuis defunctis referre, tanquam ab eis profectum*, idque non ratione præſentis alicujus influxus, aut concurſus à ſpiritibus illorum derivati, ſed præcisè ratione originis, & educationis ab iis quondam acceptæ, uti ſcilicet facere ſolent filii bene morati apud omnes gentes, humanitate minimè deſtitutas; *& hoc quidem ait ob acceptam ab eis originem, & educationem* & hoc *Paſſim*, tanta eſt potentia, ac vis veritatis!

308 Dicit Author Obſervat. Sinas *eo præcipuo fine matrimonium contra-*

 here

bere, ut Progenitorum Templa, & Sacrificia adjuncto Uxoris ministerio studiosiùs curentur.

309 Respondemus, Sinas perinde atque alias gentes matrimonia sua contrahere eum præcipuè in finem, ut stirps à majoribus deducta propagetur; Sicque parentum nomen, ac memoria conservetur; Cùm verò longè plurimi sint in China, qui non habeant, nec habere possint aulas (sive ut Illustriss. Rosaliensi semper placet, templa cum suis illis sacrificiis) Progenitoribus suis dedicatas, certè longè plurimi essent in China, quibus deesset finis præcipuus matrimonii contrahendi; Quinquòd videtur Illustriss. D. oblitus ibi esse intentæ ab ipso paritatis inter Cultum Avorum, & Cultum Spirituum pro Diis, aut Divis apud Sinas habitorum, cùm minimè ausus sit dicere, Sinas ad Cultum etiam istorum attendere, in contrahendis suis matrimoniis.

ad n.116. 310 Dicit duodecimo Author Observationum. *Ipsa* Progenitoribus *oblata sacrificia iis esse simillima, quæ Spiritibus offeruntur*, idque probat, seu probare contendit ab undecim circumstantiis *ex quibus* in fine addit, *ne unam quidem erga viventes adhiberi*, *id quod* scilicet addendum putavit, ut assertam illam similitudinem intra terminos Saccrificii, seu Cultus Sacri, aut religiosi concluderet.

311 Respondemus: hæc omnia esse quam maximè à vero aliena, Tum quia oblationes, quæ Progenitoribus fiunt, *Sacrificia* non sunt, uti toties à nobis hactenus ostensum fuit; etsi Sacrificia forent, uti perpetuò supponit Illustriss. Rosaliensis, supervacaneum esset hic ulteriùs quærere de illorum similitudine cum allis Sacrificiis; tum quia adeò verum non est, ne unam quidem *ex undecim circumstantiis* ab Illustriss. D. relatis *erga viventes adhiberi*, quemadmodum ipse asseruit, ut verum potiùs sit, omnes illas circumstantias erga viventes adhiberi, ne *unâ quidem excepta*, ex iis saltem, quæ pro legitimis habentur. Id quod facilè apparebit ex omnium enumeratione, in qua simul ostendemus dissimilitudinem oblationum istarum, quæ progenitoribus fiunt, cum oblationibus, aut Sacrificiis, quæ fiunt Spiritibus.

312 Ac prima quidem ex illis circumstantiis spectat ad vocem *Chi*; verum jam constat ex supradictis, hoc eodem nomine appellari oblationes vivis factas, hospitibus in conviviis, itemque Mandarinis illis, quibus adhuc viventibus eriguntur Aulæ, ubi in eorum honorem odoramenta incendi solent &c.

313 Secunda Circumstantia petitur à voce *Chu Chi*, quas Author Observationum contendit significare Sacerdotem, *& si Sacerdotem non significant* inquit, *nulla erit apud Sinas vox, qua Sacerdotis munus significetur*.

314 Respondemus: hoc etiam nomine appellari eos, qui præsunt oblationibus, quæ viventibus Benefactoribus fiunt in aulis ad eorum honorem erectis, de quibus paulò antè dictum est; unde, & cum hoc no-

nomen (quod quidem ex se nil aliud sonat, quàm Præsidem oblationum) generalem habeat significationem, ad instar vocis *Chi*, solent etiam alia nomina præter illud ad hiberi pro variis oblationibus; V. gr. qui præsunt oblationibus Cõfucio faciendis, vocantur *Hien quon*, atque in ipsis oblationibus, quæ Progenitoribus fiunt, Præses proprio nomine appellatur; *Hiao Cu* idest filius obediens.

315 Neque demum Pater Le Faure, quem ibi citat Illustriss. Rosaliensis, dicit Imperatores Sinarum esse summos illorum Sacerdotes, quòd appellentur hoc nomine *Chu ci*, sed quia sibi solis adscribunt munus sacrificandi *Xamti* supremo Domino, ac determinandi quidquid pertinet ad religionem sectæ literariæ, ex quo inter alia liquere potest, qua fide citari ab Illustriss. D. soleant Patres Societatis in favorem Causæ suæ; id quod & jam superiùs adverti potuit, & inferiùs advertetur magis;

316 Cæterùm non mirum videri debet, quòd Sinenses non habeant nomen proprium ad Sacerdotem significandum, cùm nec hoc officium sit apud illos proprium, nisi fortè quis velit ad hoc valuisse vocem *Seng*, qua appellantur in China Bonzii, Sectarum idololatricarum Ministri, & quâ etiam usi fuisse inveniuntur ad se appellandos antiqui illi Missionarii, qui ante mille annos fidem Christianam in Chinam invexere, uti videre est in veteri illo monumento, quod repertum est anno 1625. in Sinensi urbe *Siganfu* Provinciæ *Xan si*, & cujus exemplar Romæ extat.

317 Tertia Circumstantia ducitur ab animalibus oblatis, quæ *Communi nomine*, inquit Author Observationum, *hi*; vel *hi Seng*, *victimæ appellantur*, subditque, *specialiter notandum esse*; *in utraque oblatione* (Parentum, & Spirituum) *Serica interdum offerri*, *quæ oblatione peracta*, *solemni ritu comburuntur*.

318 Respondemus, eodem nomine *hi* vel *yum hi*, vel *sem* appellari in China animalia tum viva, tum occisa, quæ legatis offeruntur, & primariis in publico Civium Convivio hospitibus ad honorem purè politicum; quòd si placeat hujusmodi voces Sinicas vertere per *victimas*, fiet id more ipsius etiam scripturæ, quæ interdum nomine victimæ nil aliud intelligit, quàm animal occisum, aut occidendum, ad quempiam convivio honorifico, & more politico excipiendum.

319 Constat autem veritas nostræ responsionis ex variis ac pluribus locis librorum Sinicorum, ut libro *y li* tom. 8. fol. 13: lib. *li Ki* tom. 10. cap. *piu y* pag. 66. fac. 1. vers. 6. tom. 7. cap. *yo Ki* pag. 37. Item apud *Cheu li* lib. 2. cap. *Xensu* pag. 3. fac. 1. vers. ultimo, ubi sex animalium species, quæ pro cibo regio præparantur, vocantur *lo sem*, ac denique in *Tamim hoci tien*: tom. 79.

320 Atque hîc advertendum duximus, pro communibus Parentum oblationibus, de quibus solis vertitur controversia nostra in Decreto Alexandri VII. expressa, necesse non esse, facere specialem ani-

malis ullius occisionem, sed sufficere, carnes more alias solito ad convivium præparatas afferre, uti expressè habetur in lib. *sing Li* tom. 21. pag. 14. fac. 1. vers. 9. & pag. 16. Itemque in Rituali Kiali lib. 7. pag. 4. & 5. quod verò ad solemniores oblationes attinet, cùm convivium splendidius esse debeat, pridie quidem necessaria animalia occidi debent, sed à lanione, sicut, & pro omni alio nobiliore convivio fieri solet.

321 Quoad serica, de quibus hoc etiam loco Author observationum mentionem fecit, constat, illa etiam vivis in China offerri, ut legatis ex lib. *Tamim hoei tien &c.* quod verò ea comburantur in solemnioribus oblationibus, seu Confucii, seu interdum etiam Progenitorum, hanc rationem reddunt Interpretes Sinenses, quòd illa alteri jam usui servire non debeant *uu yung che*, sicut nec vestes à Rege semel adhibitæ, uti videri poterit in nostro novo Summario num. 7. litt. L. pag. 64. circa medium.

322 Quarta circumstantia spectat ad sortes, quibus ait Author observationum omnibus illis oblationibus diem decerni, nisi aliunde determinatus sit.

323 Respondemus, id non solere fieri in oblationibus defunctorum, uti superiùs dictum est ex *Kia Li*, olim verò fiebant etiam ad eligendum Præsidem Ceremoniarum, quibus primus pileus adolescenti imponebatur, ut dicitur in lib. *Kiali* tom. 2. & in variis aliis cæremoniis.

Quinta Circumstantia pertinet ad utensilia, & vestes, quæ oblationibus serviunt; *& utensilia quidem cum vetusta sunt*, inquit Author. Observat. *in terram defodiuntur, vestes verò, cùm attritæ sunt, comburi debent*, subditque *hanc discriminis rationem afferri, quia vestes ad homines, utensilia ad spiritus spectant.*

324 Respondemus, nihil horum subsistere, nisi in imaginatione objicientium, cùm, uti superiùs dictum est, nec vasa, nec vestes particulares in oblationibus Progenitorum nunc adhibeantur; Interim verò si quid olim circa delectum, ac velut respectum hujusmodi instrumentorum præscriptum fuerit, non erit mirandum, nam ut dicitur in lib. *Siao hio* cap. 2. *utensilibus, quibus in vita usi sunt parentes, post illorum mortem filii non audent uti, reverentiæ ergo*, & in *Li Ki* cap. 30. Confucius dicit, ad honorem exhibendum (hospitibus) adhibentur vasa, quæ in oblationibus *chi* adhibentur. Tum Interpres *chin hao* ibidem sic ait: Istis omnibus vasis ligneis, vimineis, testaceis, quæ oblationibus *chi* inserviunt, hospites inter se utuntur ad honorem suum testandum.

325 Sexta Circumstantia petitur à dispositionibus, quas dicit Author Observat. *easdem requiri ad Sacrificia Progenitoribus offerenda; quæ ad Sacrificium Spiritibus faciendum requiruntur.*

326 Respondemus id quod in præsenti controversia unicè quæritur, est, an oblationes Progenitoribus defunctis factæ, de quibus sermo est

est in decreto Alexandri VII. sint permittendæ, uti per illud Decretum re ipsa permissæ sunt; cùm ergo Auctor Observatiounm toties has oblationes Sacrificia appellet, videtur velle supponere, in hoc Summi Pontificis Decreto, in quo illæ permittuntur, permissa fuisse Sacrificia, quod absit.

327 Cæterùm quod spectat ad dispositiones oblationibus Progenitorum præmittendas, constat ex dictis suprà, illas eò reduci, *ut cogitent Sinæ de suis Progenitoribus defunctis, de verbis ipsorum, de iis, quæ comedebant, & operabantur*, uti relatum est ex R.P. Fr. Varo, & Illustriss. de Nicolais, idque etiam habetur ex Confusio in lib. *Chung. Jung*; An verò eædem dispositiones pro cultu spirituum præmittuntur? quis hoc dicat?

328 Septima Circumstantia est, quòd in unaquaque oblatione spiritus (inquit Author. Observat.) per vini libationem evocantur, atque spiritum Cæli (subdit) sicut & spiritus Progenitorum juxta Chinarum sententiam descendere probabimus.

329 Respondemus, *in neutra oblatione spiritus evocari per vini libationem*, neque hic aliud fieri, quàm quod fieri solet, aut solebat à Sinis in variis Ceremoniis certò politicis.

Nam quod vini odoriferi præsentatio, aut etiam aliqua ejus effusio fieret olim in excipiendis Regulis, & illustribus Hospitibus, constat ex ipso *Li Ki* cap.5. & 10. de quo ritu loquens deinde liber *Kiali* tom.7. sic habet *Atque illud est, quod postea dixerunt effundere in terram vinum, & Spiritum deorsum demittere*; Sinicè *kiam Xin*. De hoc etiam, prout ad Confucium pertinet, sic liber *Cung. Miao ly yo kao* to.
„ 3. fol.16. Dum Imperator honorificè Regulum, ut hospitem excipit,
„ illi vinum odoriferum offert, vel in terram effundit (Sinicè quon)
„ Reguli dum se invicem excipiunt, idem faciunt, præterea ad remu-
„ nerandos Regulos de Imperio benemeritos etiam vinum odoriferum
„ adhibetur; An igitur dumtaxat erga Confucium id fieri posse dubi-
„ tabis &c.

330 Præterea de hac oblatione vini, quæ dicitur *quon*, loquens liber
„ *cheu Li* t.3. c. *fiao chai* sic ait: In oe ritu, in quo colitur summa majestas,
„ non fit ista oblatio vini; Cœlo, & Terræ (idest *Xamti* sive ut loqui-
„ tur Author. Observat. SPIRITUI CÆLI) non offertur hoc vinum,
„ in regiis ædibus Progenitorum offertur; cui non offertur, ejus bene-
„ ficia sunt summa per excessum; & ea virtus, cui gratiæ aguntur,
„ satis æstimari non potest; Hinc non facere hunc ritum *quon*, re ve-
„ rà indicat excessû reverētiæ, & nil aliud; (Interpres verò *Ching addit*
„ *Vini odoriferi* oblatio vel effusio tantùm inter homines, & in aula
„ Progenitorum adhibetur; pro Cæli, & Terræ magno spiritu, sum-
„ mam majestatem habente, non adhibetur.

331 En quàm parùm subsistant assertiones Illustriss. D. in Doctrina Sinica, ut potius oppositæ in ea expressè contineantur.

332 Accedit, quòd ritus, qui dicitur fieri per effusionem vini in terram,

& quem placuit Auctori Observat. appellare *libationem*, non agnoscitur à multis literatis Sinensibus pro legitimo in secta literaria, unde & ab iis, qui hosce ritus accuratiùs peragunt, non effunditur vinum in terram, sed solummodò apponitur in vase super mensa, aut humi super storea deposito.

333 Octava Circumstantia est, quod in utraque, scilicet oblatione Cœli, & Progenitorum (inquit Auctor Observat:) fit pilorum, & sanguinis oblatio.

334 Respondemus, non fieri istam pilorum, & sanguinis oblationem in ordinariis Progenitorum oblationibus, ut alias jam ostendimus; de his tamen solum permittendis agitur, prout exprimuntur in Decreto Alexandri VII.

335 Rationem autem, ac finem, cur fiat ista oblatio in solemnioribus oblationibus, affert liber *Ven Hien Tung*: *Cao* tom.94.p.3.fol.2. ver,
„ 10. ubi dicitur. Antiqui litterati asserunt, oblationem Sanguinis,
„ & pilorum & carnium crudarum esse oblationem escarum, quibus
„ antiquissimis temporibus, dum scilicet, ut ait liber *li Ki* cap. 9. non erat adhuc usus ignis, *homines vescebantur*; Id quod etiam habetur tom.97. pag.14. fol.1. n. 9. ejusdem libri *Ven Hien Tung*. *Cao*, ubi
„ ita legitur. Antiquis temporibus nondum cibos igne coquebant,
„ carnem cum pilis comedebant, & sanguinem bibebant; hinc igitur
„ habetur mos, pilos & sanguinem offerendi. Sanè constat in Regno *Tun Kini*, quod Chinæ vicinum est, apponi quandoque etiamnum in conviviis carnem crudam, & crudum sanguinem, eumque præsertim, qui in corde animalis inventus fuerit, utpote qui ibi perfectior esse creditur.

336 Nona circumstantia est, quòd in utraque oblatione inquit Author Obsevat., adeps adoletur.

Respondemus, adipem nunc non adoleri, aut incendi in oblationibus Primogenitorum, sed sola alia odoramenta, quæ in China passim erga vivos cremari solent, uti constat ex Rituali *Kiali* t.7. ubi dicitur, quod concrematio odorum *fuen biang*, quę in oblationibus defunctorum fieri solet, substituta sit antiquo ritui concremandi adipem, herbæ odoriferæ *Siao* dictæ immixtam; ex quo etiam liquet, nil aliud re ipsa fuisse illam adipis incensionem, quàm genus quoddam suffitus eo tempore adhibitum, quo usus odorum exquisitorum non vigebat, quemadmodum declaratum jam fuit in expositione facti Sacræ Congregationi exhibita.

337 Decima Circumstantia est, quòd *Templa*, *aut si vis Aulæ* (inquit Author observat.) *ubi Progenitores coluntur, non secus ac Templa spiritibus erecta nominentur Miao*.

Respondemus 1. non esse verum, quòd aulæ defunctis Progenitoribus communiter erectæ appellentur *Miao*, uti constat inter alia ex testimonio expresso Illustriss. Domini de Nicolais in resp. ad S. C. P. supra 5. Punctum, ubi ita locutus est. *Di più ciascheduna famiglia hono-*

nora-

norata, e commoda dell' Imperio hà per i suoi Progenitori defonti luogo determinato, qual non si chiama Miao ma Chutang: (idest) *Præterea quæ libet Imperii familia honorata, & locuples habet pro suis Progenitoribus defunctis locum determinatum, qui non appellatur MIAO, sed CHUTANG*. Quo etiam nomine constat reipsa appellatas fuisse hujusmodi aulas in Decreto Alexandri VII. in quæsito ultimo, modo secundo quo Sinæ suos Defunctos honorant; atque hoc item nomine constat appellari in China aulas, quæ Mandarinis adhuc vivis pro gratitudine ob Magistratum bene gestum eriguntur, uti supra dictum est.

338 Secundò. Nec verum est, vocem *Miao* apud Sinas esse determinatam ex propria significatione ad significandum Templum propriè dictum, seu locum cultui sacro destinatum; ex se enim solùm significat aulam quamdam insignem, eamque præsertim ad repræsentandos antecessores regios, vel illustriores viros, collocatis ibi eorum imaginibus, destinatam, uti videri potest in vocabulariis Sinicis.

339 Neque porrò ex eo, quòd Sectarii, seu Idololatræ sua fana nomine etiam *Miao* appellare voluerint in China, magis sequitur, quòd omnis illa Domus, vel aula, quæ *Miao* appellatur, sit verè, ac propriè dictum Templum, quàm ex eo, quòd nos Europæi in China existentes mutuati sumus nomen Sinicum *Tang* ad nominandum Templum veri Dei (quod scilicet in Sinis appellari solet *Tien chu Tang*) sequatur vera esse Templa deinceps dicenda Præfectorum Tribunalia, quæ similiter *Tang* apud Sinas appellari consueverunt, uti observatum est in expositione facti à nostris pridem exhibita Sacræ Congregationi.

340 Insuper notandum hìc maximè videtur, tantùm abesse, ut ista Aularum, seu ædium erectio ad honorandos Progenitores defunctos, & Confucium, etiam cum nomine *Miao* destinata, aliquid conferat ad probandum, illos ibi coli, ut Spiritus seu Deos Sinicos, uti contendit Illustriss. D. Rosaliensis, ut potiùs probet oppositum ex doctrina litteratorum Sinensium. Nam juxta illos ad colendos Spiritus adhibentur Terræ aggeres, intra certa solùm Septa conclusi, pro majoribus verò defunctis fit Aula seu Domus parentalis, uti constat ex Doctore *Chang* in Lib. *su Xu mung*: *yn* tom. 1. fol. 35: ubi & hanc reddit hujus discriminis rationem: *Homo dum vivit, in aliqua domo habitat, ideo postquam obiit, ad ea quibus in vita utebatur offerenda, erigitur ei aula, seu Domus Miao, quod autem attinet ad Cæli, ac Terræ spiritum, ipse non habet domum, ideo terræ agger non Domus ei erigitur; Nunc etiam*, inquit, *Montium, fluminum, regionum, frugum spiritibus terræ agger erigitur*.

341 Idem etiam probatur ex Doctore *Kiu* in L. *Cung. Miao Ly*: *yo Koco* tom. 1. fol. 35. ubi sic ait: *Locus in quo erigitur terræ agger ad faciendas oblationes spiritibus Cæli, ac Terræ, Montium, fluminum &c. portam habet cancellatam, eò quòd sint spiritus intelligentes, quia autem*

tem Confucius est defuncti hominis spiritus (pertinentis nempe ad rem materialem, seu Corpus) ideo non in aggere, sed in Domo Miao fit ei oblatio, & si huic Domui fieret porta cancellata, id esset coæquare Confucium spiritibus Cæli, ac Terræ &c. quod sanè foret à recta disciplina, & doctrina alienissimum.

ad n.117. 342 Ultima Circumstantia est, quòd Sinæ, inquit Author observat. *nequid religiosi, vel potiùs superstitiosi illi deesset cultui, quo majores suos prosequuntur, hunc etiam Chartas papyraceas comburendi usum addidere*, ac paulò post subdit; *omnes fateri, hunc Ritum esse religiosum.*

343 Respondemus primò, quod jam superius indicatum est, hunc ritum nec fuisse unquam à nostris PP. permissum, quemadmodum, & ipse Illustriss. Rosaliensis ibi agnovit, neque pertinere ad germanam doctrinam litteratorum Sinensium, uti constat ex *Kiali* tom. 7. ubi dicitur, quòd litteratorum Secta reiiciat in funeribus istas monetas papyraceas, ut inventum Sectæ Idololatricæ *Foe*, sitque risu dignum putare, illas in altero mundo posse servire; quanquam ibidem additur, *quòd si adhiberentur loco* munerum Sericorum (quæ passim inter vivos & maximè in legationibus adhibentur) *eæ non nocerent*. Quo etiam satis ostenditur, intentionem sectæ Litterariæ esse, solùm colere suos Progenitores defunctos, tanquam si viverent, non verò ut Spiritus, aut Deos Sinicos, uti intendit Author observat.

344 Respondemus 2, hunc Ritum eo etiam animo factum, quo supponit Illustriss. Rosaliensis, apertè probare contrarium ejus, quod ipse intendit, tum hic, ubi dicit, Progenitores defunctos à Sinis coli tanquam Spiritus, seu Deos Sinicos, idque ab undecim circumstantiis, quarum scilicet ultima est ea, de qua hic agitur, tum infra, ubi dicit, à Sinis credi, Animas hominum nihil esse aliud, quàm purum aerem dissipatum; nam cùm istæ Chartæ, seu monetæ papyraceæ à Sinis comburantur, *arbitrantibus, illas in altera vita ad defunctorum usum in pecuniam, aut aliam rem convertendas*, sicut ipsemet retulit pag. 95. hujus sui libelli, certè manifestum est, à Sinis credi, defunctos suos hisce egere posse, adeòque non æquiparari Diis Sinicis, neque inde minùs manifectum est, à Sinis credi, animas defunctorum suorum adhuc subsistere, seu aliquid aliud esse ab aere dissipato, quippe qui talibus ad usum suum egere nequeat.

345 Neque demum juxta veræ Theologię principia dici posse videtur, quod ibi etiam asseruit Author Observat. scilicet *omnes fateri, hunc ritum esse religiosum*, quasi verò idem foret, aliquem colere cultu religioso, atque ad eum dirigere litteras campsorias, quibus illius indigentia sublevetur, aut sublevari credatur, sed Illustriss. Domino placuit id, quod est purè superstitiosum, aut ad vanam quamdam observantiam pertinens, accipere pro religioso, idque tamquam *ab omnibus assertum*, etiam si id nemo dixerit, præter ipsum, ut media scilicet plura inveniret, ad conflandas suas *demonstrationes* idonea.

346 Hactenus prosequuti sumus undecim illas circumstantias, quas il-

lu-

Illustriss. Dominus in sua assertione duodecima collegit, ut ostenderet, *Avorum sacrificia*, ut ipsemet loquitur, *sacrificiis spirituum esse* simillima, quo tandem suam absolveret demonstrationem, qua *demonstretur, Progenitores iisdem coli Ritibus, quibus alii Spiritus, seu Dii Sinici coluntur*: qui fuit titulus velut generalis ab illo positus in principio istarum duodecim assertionum suarum; quàm verò infeliciter titulum istum impleverit Illustriss. D., constare jam poterit, uti speramus, legentibus ea, quæ nos hic reposuimus, cum tot tantisque documentis ad illa, quæ ipse tam jejunè, ac nihilominus tam absolutè asseruit, quasi una asserentis authoritas pro omni demonstratione habenda esset. Intentio tamen nostra alia hìc non est, quàm ut eos ritus defendamus qui, decreto Alexandri VII. permittuntur, nec omnes alios indiscriminatim ritus permittendos esse contendimus, prout jam sæpius diximus.

347 Cæterùm postquam Author observat. finitis undecim illis suis circumstantiis, admonuit, *hîc maximè observandum esse, ex istis undecim præcipuis circumstantiis; quibus Progenitorum oblationes, cum factis Spiritibus oblationibus conveniunt, ne unam quidem erga viventes adhiberi*, subjungit; *ex hoc duo erui. Primum*, inquit, *Summam inter oblationes Cælo, spiritibus, seu Diis Sinicis, & Avis factas intercedere similitudinem, quæ quidem tanta, tamque Sinicis in libris EVIDENS est, ut Societatis Apologista P. Le Faure, cùm illam inficiari non posset, ad effugium planè absurdum recurrere coactus sit &c. Alterum, cultui religioso nullatenus obstare quoddam Sinarum dictum, scilicet serviendum mortuis perinde ac si viverent, graviterque hallucinari Patres Societatis, dum contra ipsam rei evidentiam &c.* ad n. 118.

348 Respondemus, cùm tam apertè in Superioribus ostensa sit falsitas, seu *insubsistentia hujus maximę observationis*, ex qua Illustriss. Rosaliensis *duo* ista veluti consectaria sua *erui* asserit, consequens omnino esse, ut diruto illo velut principio, ruant & ista duo ejus consectaria: adeò, ut ad ea diruenda omnis præterea labor supervacaneus esse videatur.

349 Interim videndum, quid duobus istis suis consectariis Author observat. de suo inseruerit; Primum est, quòd *P. le Faure, cùm inficiari non posset*, inquit, *summam illam similitudinem inter oblationes Cælo, spiritibus, seu Diis Sinicis, & Avis factas, ad effugium planè absurdum recurrere coactus sit, affirmando scilicet, tantam hanc similitudinem oriri à similitudine virtutis, & excellentiæ, quam Sinæ in Cælo, seu ut ipse vult, Deo, spiritibus seu Angelis, & Parentibus defunctis colunt, ut constat*, inquit, *ex iis, quæ jam de eo retuli, aliisque hîc ad calcem paginæ adducendis*; Tum ibi ad calcem adducit Auctor observat. objectionem quamdam factam ab ipso P. le Faure cum responsione ab eodem data, ex qua suum intentum probari contendit.

350 Respondemus, adeò non esse verum, P. le Faure agnovisse *summam illam similitudinem*, qualem in præcedentibus stabilire conatus

est Illustrissimus Rosaliensis, ac nominatim ab undecim illis circumstantiis paulò antè recensitis, ut illam potiùs quoad omnia, aut saltem præcipua ejus Capita everterit, eo prorsus modo, quo nos ipsi illam evertimus, quemadmodum videri poterit, percurrendo ejus librum ab Illustrissimo Domino citatum, cui titulus est, *de Sinensium Ritibus Politicis*, cujus nos singulares citationes prolixitatis, ac tædii vitandi gratiâ prætermittendas esse duximus.

351 Neque debuit nos Auctor observat. remittere ad ea, quæ dicit à se fuisse de illo Patre relata; cùm ex iis, quæ nos ibi reposuimus, satis constet; quàm inutiliter, ac perperam fuerint ab Illustrissimo Domino relata; idque etiam magis constare poterit ex iis, quæ ad calcem paginæ suæ 45. ex eodem Auctore adducenda judicavit, ubi nimirum ea solùm ex illo adduxit, quæ speciem quandam minùs honestam præseferre viderentur, iis penitus suppressis, quæ author ipse ibidem attulit ad penitiorem rei, de qua agitur, declarationem, & quibus species illa plurimum immutatur, quamvis, & hæc ipsa, quæ Illustrissimus Dominus ibi adduxit, satis esse videntur, ad ipsummet de falsa allegatione, seu accusatione convincendum.

352 Nam P. le Faure in locis ab Auctore observ. adductis, ubi agnoscit aliquam similitudinem, loquitur solùm de primariis, idest *solemnioribus oblationibus*, & in his etiam oblationibus eadem pag. 259. multiplicem statim dissimilitudinem subjungit, ubi post verba ex ipso relata ab Auctore observat. ita loquitur, *differunt tamen &c.* item paulò inferiùs; At plurimum differunt &c. quæ mirandum esset, potuisse ab Illustrissimo D. supprimi, nisi ea sibi nimis adversa esse judicasset.

353 Interim verò cum istis suis omissionibus fas sibi esse putavit Illustrissimus Rosaliensis, adversus prædictum P. le Faure censuram pronunciare, dicens, *illum ad effugium planè absurdum recurrere coactum fuisse*, ac deinde subjungens, *illud ipsum esse inter alia, super quo Apostolicæ sedis judicium expostulat*, tanquam suo scilicet ipsius judicio jam antea formato conformandum; quod nam verò est effugium illud absurdum? nimirum quòd Sinæ Similitudinem illam exteriorem, & imperfectam, quam observant inter oblationes suas primarias, seu solemnes spiritibus factas, & oblationes suas primarias Avis, seu Progenitoribus suis factas, fundent, *in similitudine tametsi imperfectiore, quam habent in virtute, & excellentia personarum*, quatenus spiritus Cœli, & Terræ, ideſt Supremus Dominus ab illis spectatur, *ut primum principium productionis, ac gubernationis*; Avi verò seu Progenitores, *ut principium ejusdem secundarium &c.* quemadmodum fusè declaravit idem P. le Faure tum pag. 251. tum etiam pag. 259. & alibi, idque juxta doctrinam Angelici Doctoris, quam & nos superiùs retulimus ex 2. 2. quæst. 101. art. 1. & 13.

*ad n.*119. 354 Alterum, quod Auctor observationum consectariis suis inseruit, pertinet ad illud Sinarum dictum, *serviendum mortuis perinde, ac si vive-*

viverent; ubi postquam more suo Censuram tulit Illustrissimus Rosaliensis *in Patres Societatis*, dicens illos *graviter HALLUCINARI, dum contra rei EVIDENTIAM ex eo inferunt, cultum mortuorum, cultui viventium simillimum esse*, ita pronunciat, *verus igitur hujus dicti sensus est, quæcumque tandem erga mortuos officia, sive politica, sive religiosa præstentur, in illis exequendis pium filium non minori curâ, diligentiâ, amore, & reverentiâ incumbere debere, quàm si Parentibus viventibus serviret*; Tum id probat; seu probare se dicit ex alio libri *liki* loco, ubi ait. Confucium docere, *eum qui mortuos, sicut viventes tractat, Rituum rationem prorsus ignorare*, quippe inquit, *volebat Confucius, ut mortui, nec ut viventes, nec ut mortui tractarentur, sed ut spiritus*, hoc est, ut Dii Sinici, sicut ipse videlicet Auctor observat. accipere solet.

355 Respondemus. Primò negamus suppositum; scilicet *quod Sinæ officia aliqua religiosa erga suos progenitores præstent*, seu quòd illos eo cultu prosequantur, quo Deos Sinicos, sicut ipse intendit, & perpetuò supponit, nec hactenus probavit unquam, cum omnibus illis evidentiis, & demonstrationibus suis, uti satis constare ex dictis arbitramur. Hinc 2. negamus eum esse sensum *dicti illius Sinensis*, quem de suo ponit Illustrissimus Dominus; ac nostrum sensum satis esse probatum, & vindicatum putamus ex præcedentibus, accedente præsertim *declaratione, & approbatione Regia*; quod ea, quæ Sinæ offerunt *majoribus defunctis* offerãt solùm ad prodendum amoris affectum, & gratitudinem ob beneficium originis, & educationis, quod ab illis accepere, sicut nimirum, & viventibus similia etiam obsequia exhibent.

356 Neque huic sensui quidquam repugnant verba illa Confucii, quæ author observationum dicit se citare ex illo libro *liki*; Nam loco illo non agit Confucius de *oblationibus*, sed solùm de *exequiis mortuorum*, uti exprimit ipse titulus in libro *Kiali*, in quo refertur locus ille libri *liki*, qualem retulit Author observat. omissis tamen verbis intermediis, quæ in ipso *liki* continentur, ibi ergo solùm vult Confucius, ut ait Interpres *Chin Hao* in lib. *liki* cap. 3. quòd varia instrumenta lignea, testacea, cannea, lyræ, fistulæ, campanulæ &c. in deferendo funere debeant quidem præparari, ut non tractetur mortuus tanquam mortuus, non tamen debeant esse ad usum perfecta, ut non tractetur mortuus tanquam vivus, sed inter utrumque; hinc ista instrumenta vocantur *Mim Ki*, idest instrumenta, quibus noster intellectus tractat mortuum, ut spiritum intelligentem, nempe separatum à suo corpore, non spiritum Cœli, aut Terræ; nec mirum in funere adhiberi aliqua erga mortuum, quæ erga viventem non adhibentur, nec enim viventi Sarcophagus, nec sepulcrum datur &c. *ad n.120.*

357 Petit demum author observat., *ut liceat sibi coronidem huic suæ observationi imponere verbis P. Augustini à S. Paschali, qui in tractatu, à Patribus Societatis laudato, cùm per integras viginti, aut trigin-* *ad n.121.*

ginta paginas probasset, quæ in Templis Progenitorum fieri solent oblationes,idololatrica superstitione infectas esse, tandem omnia velut in unum colligens, ait &c.

358 Respondemus, Illustrissimum Dominum in hac sua Coronide inseruisse verba quædam æquivoca, nec satis digna, quæ in coronide locum habeant; dum videlicet dicit; *Tractatum P. Augustini à S. Paschali fuisse à Patribus Societatis laudatum* Ad evitandam æquivocationem; *citatum* dicere poterat, non *laudatum*; siquidem hunc terminum in alio sensu ipse intelligere velit, nam citatus re ipsa fuit non laudatus,sicut, & citata reipsa fuit à Patribus Societatis, non *laudata* epistola ejusdem P. à S. Paschali ad D. Abbatem de Lionne, cui ille exprobravit, ut videre est in priore nostro summario n. 2. *quod vellet Dominus Abbas praxim Missionis Sinensis statuere in imitatione hominum, qui ob linguæ ignorantiam Ministerium suum exercere non potuerant*, Item *quòd videtur esse de Missionariis illis, qui invertunt sensum illorum, quę legunt, ut accusent, & calumnientur alios*; Item quòd omnes pro idiotis, pro cæcis haberet, putaretque *solam suam dominationem oculos habere*, Item *quòd cum sua rerum confusione probaret suam malam fidem,& quòd omnis alia conjectura, quam faciebat, non esset aliud, quàm parùm fumi, & verba otiosa, sine succo bonę intentionis in ordine ad Ministros, & Christianos Sinas*. Item *quòd dicta Patris Tbannez; quasi essent cerea, in varias verteret figuras, ut possent servire* omnibus Comediis; Item *quòd PP. Societatis accusaret de permissis Dæmonio sacrificiis*, ubi, & hanc D. Abbatis *Sententiam* appellat *horribilem*; Item *quòd eidem Domino Abbati sufficeret, quòd quidam se opposuissent opinioni Societatis, ut illos canonizaret, & appellaret Sanctos Patres &c.* Hæc, & alia ejusmodi citârunt PP. Societatis ex prædicta Epistola aliisque tractatibus P. Augustini à S. Paschali, nec tamen uspiam epistolam illam aliosve ejusdem Tractatus laudarunt.

359 Quin hic ipse R. P. à S. Paschali Tractatus tantâ diligentiâ occultatus semper fuit ab Adversariis coram Patribus Societatis,ut non nisi ultimis his annis pauca aliqua ex illo excerpta habere potuerint; unde, dum author observationum in suis brevibus notis circa finem asserit, illum Tractatum à duobus *Societatis Procuratoribus iterum, iterumque perlectum fuisse*,more quidem suo ea liberè affirmat,& fingit, quæ tamen ab omni veritate maximè aliena sunt; tanta fuit Adversariorum in hoc tractatu occultando diligentia, ut duo Societatis Procuratores, cùm è China discederent, non nisi solùm pauca aliqua ex illo excerpta, quæ in suo primo Summario attulere, obtinere potuerint.

360 Secundò. Respondemus, quòd si ea, quæ Author observat. dicit à P. Augustino à S. Paschali *probata fuisse per integras viginti, aut triginta paginas sui Tractatus*, fuissent re ipsa bene probata, non omisisset certè Illustriss. Dominus omnia ejus argumenta in medium affer-

medium afferre; ut qui omnia hinc inde singulari cum studio, ac labore collegisse, ac velut corrasisse in favorem suæ Sententiæ non ambigitur; itaque cùm jam satis superque videamur respondisse ad omnia, quæ hactenus produxit Illustriss. Dominus, arbitramur, etiam nos & ad ista respondisse, quæ pro coronide nunc afferuntur ex prędicto Patre, nisi quòd in eodem extracto occurrit unum quoddam admodum novum, ac singulare, de Sinis scilicet credentibus, animas Progenitorum suorum resolvi *in qualitates universales, In Jang, dictas, hoc est frigidas, & calidas, humidas, & siccas, atque ita resolutis oblationes suas facientibus*; rogamus enim, quo in libro Sinico tale Paradoxum reperiatur? Sanè id nos Sinis prorsus incognitum esse contendimus.

361 Verùm, superest alia quædam Coronis, quam Author observationum, non jam verbis alienis, sed verbis propriis, & propria auctoritate imponit ipse huic suæ secundæ observationi, ita dicens; *Huc usque*
„ antiquus ille Sinensis Missionarius, qui, si duobus Societatis Procura-
„ toribus fides adhibeatur, illustre Testimonium de veritate relationis
„ P. Martinii dedit (scilicet in memor. pag. 41.) Illustre profectò te-
„ stimonium, sed ad comprobandam minùs sinceram P. Martinii fidem,
„ DEPLORANDAMQUE Societatis in defendenda hujusmodi causa,
„ Religionis Christianæ principiis TAM APERTÈ CONTRARIA,
„ INCONSIDERANTIAM, ne dicam OBSTINATIONEM.

362 Respondemus, satis gravem ab Illustriss. Domino factam esse omissionem in adducendis verbis illis ex pag. 4. nostri Memorialis, ubi dicitur P. Augustinus à S. Paschali *illustre Testimonium dedisse de veritate relationis P. Martinii*, debuerat enim addere, quæ ibi sequun-
„ tur; Præsertim in punctis capitalibus ad hanc quæstionem spectanti-
„ bus (dum scilicet post relata P. Martinii verba) Sinæ nullam divini-
„ tatem animabus defunctorum concedunt, nihil ab iis sperant. aut pe-
„ tunt; (ita subjunxit prædictus Pater;) Hæc ultima verba video ego
„ posita cum maxima advertentia, & ostendit (P. Martinius) in illis
„ intelligentiam, quam habet de rebus Sinicis; NAM IN DOCTRI-
„ NA SINICA INVENIO ILLA ESSE VERA &c.

363 Poterit fortè ista Illustriss. Domini omissio attribui alicui *inconsiderantiæ*: absit verò, ut à nobis attribuatur etiam *obstinationi* in criminandis PP. Societatis, & si utramque, eamque *deplorandam* minimè vereatur ipse Societati adscribere, idque post accusatum *P. Martinium de minùs sincera fide*; non satis haud dubiè imitatus moderationem Illustriss. Beritensis, qui in suis resp. ad Puncta Eminentissimi Cardinalis Casanate n. 25. agnoscit P. Martinium fuisse Religiosum magni meriti, virtutis, & doctrinæ toti mundo, ut ait notissimę, ac proinde fraudis faciendæ, præsertim in re tanti momenti, incapacem.

L NO-

NOTÆ

In Tertiam Observationem.

ad n.122. 364 IN tertia ista sua observatione Illustriss. Rosaliensis tractat tertium Punctum ex quatuor sibi propositis in principio capitis sui secundi, ad Progenitorem cultum pertinentis; *An scilicet Sinæ à Progenitoribus defunctis aliquid sperent aut petant*, ex occasione verborum illorum Decreti Regii, quæ ipse ita refert num. 122. Nec *arbitramur*, In quiunt Patres Societatis, *secundum Librorum Sinicorum, seu literatorum sensum illos* (Defunctos Majores) *rogari ut protegant*; Tum subdit ipse; *Sinicum exemplar ait*; *juxta Literatorum Ritum de petendo auxilio mentio non fit*.

ad n.123. 365 Dicit porrò Illustriss. D., quòd, quamvis facilè concesserit, in Sacrificiis, seu oblationibus ordinariis, de quibus hic à Patribus societatis Sermonem habere arbitratur, morem non obtinere, ut aliquid expressè petatur, certum tamen sit, Sinas ex Librorum classicorum sensu sæpe sæpius pro data occasione, vel necessitate, à Progenitoribus felicitates, & bona postulare, atque ea concedendi facultatem in iis agnoscere; hoc autem se demonstraturum esse, suo scilicet more, promittit.

366 Antequam veniamus ad prætensas Illustriss. Rosaliensis *demonstrationes*, advertimus in præsenti, Authorem Observationum, duo, aut tria, in hoc suo Prologo inseruisse, quæ aliqua videntur egere animadversione; primum est, quòd facilè concedat, aut concessurus sit, in oblationibus ordinariis majorum defunctorum morem non esse, ut aliquid ab illis expressè petatur. Secundum est, *quòd ipse arbitretur, ibi* (idest in expositione PP. Pekiniensium, quæ Regio decreto continetur, & approbatur) *sermonem haberi de ordinariis illis oblationibus*, quasi scilicet ibidem de extraordinariis, aliisque etiam occasionibus Sermo non sit; Tertium est, quòd *ille pro certo habeat, Sinas ex Librorum classicorum sensu sæpe sæpius postulare à Progenitoribus suis Defunctis felicitates &c.*

367 Ad hæc nos pauca ista reponimus. Ad primum quidem, placere nobis facilitatem Illustriss. Rosaliensis in concedendo, quod Sinæ in oblationibus ordinariis majorum Defunctorum nihil expressè petant, nam hac qualicumque Confessione evertit omnes antiquas adversus Jesuitas accusationes, atque eas præsertim, quas D. Charmot afferre non dubitavit in scripto Sac. Cong: exhibito, quod habetur in historia cultus Sinensium pag. 15. n. 32. contra P. Martinium, ut citavimus in nostro ultimo memoriali n. 32. destruit item ea, quæ proposuerat P. Joannes Baptista de Morales in sua relatione inserta decreto Innocent. X. quæsito 9. ut videre est in eodē mē. n. 33.

368 Ad

368 Ad secundum respondemus, non subsistere ejusdem D. limitationem, seu distinctionem; *nam ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus*, uti habet Regula Juris certa, & explorata: Constat autem, Decretum Imperatoris, seu quod eódem recidit, expositionem P. Pekinensium in eo insertam, & approbatam, minimè distinguere, sed universim loqui sine ulla restrictione ad oblationes ordinarias, uti refertur ab ipso Auctore Observationum: Nec arbitramur secundum librorum Sinicorum, seu literatorum sensum, „ defunctos Majores rogari, ut protegant; item, juxta Literatorum „ Ritum de petendo auxilio mentio non fit; id quod etiam magis constat ex iis, quæ in eodem Decreto habentur de tabellis, quas Sinæ erigunt Avis, & Majoribus suis, ubi sine ulla exceptione, aut limitatione dicitur *eas non ideo erigi, quod credant defunctorum animas in iis residere; VEL UT FAUSTA, AC PROSPERA AB EIS PETANT &c.* Itaque cum Illustriss. Rosaliensis dixit, ibi *se arbitrari, sermonem à Patribus Societatis haberi, DE OBLATIONIBUS ORDINARIIS*, scilicet solis, hoc dixit pro suo arbitratu, & arbitrio, sicut & alia plura dixit in præcedentibus.

369 Ad tertium de *Certitudine*, quàm dixit Author Observationum, *se habere ex Librorum classicorum sensu*, hoc in primis reponimus, esse nobis prorsus incompertum, quomodo stare possit ea Illustriss. D. Certitudo, cum alia ejusdem certitudine priori prorsus opposita, „ nimirum quòd secundum Sectæ Literariæ principia omnes majorum „ animæ post mortem in aera dispergantur, ac subtili Cæli materiæ conjungantur; ut ipse dicit num. 143. suarum Observationum; atque hoc *systema* semper, & ubique ambo Illustriss. D. Rosaliensis, & Cononensis pro indubitato supponunt; ipseque insuper Dominus Cononensis pag. 87. sui libelli in fine dicit; In Confucii, & omnium „ Sinarum sententia bona & malò necessariò consequi; non verò ad „ consequenda bona, vel avertenda mala, spiritus vana adulatione demulcendos esse. Id quod etiam fusiùs asserit pag. 110. 111. & 112. idemque Parte 1. & 2. suarum Observationum contendit, nec ad ipsum *Xamti* supremum Imperatorem à Sinensibus seriò fieri deprecationes, sed esse formulas loquendi solùm *metaphoricas, vel poeticas &c.*

His ita animadversis circa Prologum Illustriss. Rosaliensis, venimus ad prætensas ejus *demonstrationes ex Librorum classicorum sensu*, ut dicit, petitas, aut petendas.

370 Primo loco ponit Auctor observationum Historiam ex libro *Xu king* petitam de oratione *Cheu kung* ad Progenitores pro salute fratris, graviter decumbentis habita: additque in eam rem textum satis longum, ex commentariis hodierni Imperatoris depromptum. *ad n.124.*

371 Respondemus Primò, plura ibi errata commissa fuisse ab Illustrissimo D. in versione Textus Sinici, quem adducit, unde pronum erit judicare, quæ illi fides in similibus sit adhibenda; nam præter-

 quam

quam quòd paraphrasim potiùs facit, suo modo concinnatam, quàm versionem; præmisit tamen, *Imperatorem hodiernum de hac oratione disserentem in suis Commentariis hæc habere &c.* secundo ita deinde ipse vertit, *noluit, Cheu kung duobus Præfectis acquiescere .... dixitque non oportere Progenitorum animis mærorem ob nepotis infirmitatem afferre, sed in se sumpsit, ut sortes mitteret, & preces funderet ad suos Progenitores*; Textus verò dicit, quòd *Cheu kung* suos duos fratres (nempe Principes *Tai kum et Chao kum*, qui volebant sortem jacere) prætensa excusatione rejecit; ratus, si illæ ritu regio jacerentur, faciendo preces in parentali majorum Domo, Magistratum, & populum commovendum, licet eas ipse postea jecerit: secundò pergit ille vertendo, *erectisque tribus altaribus*, pro quo Textus habet *tres terræ aggeres*: tertiò vertit, certam esse rationem, qua
„ mortui, & viventes se invicem compellant, *cheu kung* vim habuisse
„ naturam immutandi; (Textus verò dicit) patet rei obscuræ, & claræ
„ rationem esse motus correspondentiam; sed solus vir magnæ sapien-
„ tiæ, summæque perfectionis, & sinceritatis id potest. Cætera omittimus.

372 Respondemus secundò, quòd & aliàs sæpius responsum est, nempe hoc ad summum esse factum quoddam singulare, seu particulare, ex quo non magis inferri potest, Sinas precari universim omnes suos defunctos, idquod quæritur in præsenti, quàm ex eo, quòd nos Christiani precamur aliquos è nostris defunctis, scilicet Sanctos, legitimè infertur, nos precari generatim omnes nostros defunctos; Neque enim ex particulari valet argumentatio ad universale, ut fert logicum axioma, nullaque proinde est prima illa demonstratio Illustris. Rosaliensis, in tali medio fundata.

373 Cæterùm quòd Princeps *Cheu Kung* suos illos progenitores, non ut *Deos Sinicos* habuerit (quod est intentum Illustris. Dom.) sed eos dumtaxat adhibuerit tanquam intercessores apud *Tien* aut *Xamti*, seu *Cælum ac supremum Dominum* pro salute fratris sui *Vu vam* obtinenda, patet ex ipso l. *Xu King*. paulò post referendo, ad quem nos remittere voluit Ill. Rosaliensis, qui nec id supprimere contentus, duos insuper Iesuitas voluit interse committere super hoc puncto; scilicet P. le Comte, quem dicit *asserere*; quòd *Cheu kung pro fratris salute impetranda supplex se coram Divina majestate prostravit*, & P. Le Faure, quem dicit e contrario fateri, quod *Cheu Kung preces ad suos Progenitores fuderit* (sine ullo videlicet respectu ad Divinam Majestatem, seu nulla facta supremi Domini mētione, *dū inter alia de Cheu Kung oratione ait* (P. Le Faure) *qui adeò enixè ardenterque petebat, & efflagitabat à tribus Regibus, utique credebat, dictas Regum animas posse suis precibus commoveri*.

374 Quis crederet, posse tot errata committi, non in citatione solùm Librorum Sinicorum, sed etiam in Citatione Europeorum, ab homine præsertim tantæ Dignitatis, profitente se Causam agere Chri-
stia-

stiana Religionis, coram *Sancta Dei Ecclesia*? nempe in loco proximè citato non solùm malè vertit Sinicum Textum, ut paulò antè vidimus, neque solùm suppressit Orationem ipsius *Cheu kung*, quam mox referemus, sed etiam ipsi Patri Le Faure attribuit verba, quæ ejus non sunt, atque ea illi attribuit, suppressis verbis immediatè antecedentibus, quæ ipsum Patris le Comte sensum continebant.

375 En istorum probatio desumpta ex ipsa pag. 162. Lib. P. Le Faure, quæ citata invenitur in margine observationum ad finem num. 124. In *Xu Kim* Lib. 4. fol. 31. (inquit P. le Faure) *Cum Vu vam Fundator Imperatoriæ familiæ Cheu graviſſimè ægrotaret, illius frater Cheu Cum, pro sanitate fratris obtinenda, tres Atavos Reges ita compellat; si vobis, tres Reges, incumbit, ut pro magno filio Cæli* (is est Imperator) *vos interponatis coram supremo Imperatore, seu Cælo, efficite, ut mei unius persona pro fratris persona comutetur. Exponit Colaus: Siquidem vos, etiam trium Regum animæ, convenit operam dare, ut juvetis, & protegatis magni Cæli filium, interponatis vos coram supremo Cæli Imperatore; & in ejus conspectu non convenit utique vos permittere, ut hic ille moriatur; & paulò post; Qui adeò enixè ardenterque petebat, & efflagitabat à tribus regibus, utiq; credebat, dictas regũ animas posse suis precibus commoveri*; ubi, ut patet, verba ista ultima (*qui adeò &c.*) sunt Colai, non verò Patris Le Faure, cui tamen illa attribuit Author observ.

376 Hanc ipsam historiam de oratione *Cheu Kung* ad suos Progenitores jam toties citatam ab Adversariis, etiam proposuerat in China Illustriss. Rosaliensis Illustriss. Ascalonensi inter illas suas 91. Propositiones, quas ut *evidentes* venditabat, & ad quas ab illo responsum petebat. Itaque abs re non erit, videre, quid super illa responderit Illustriss. Ascalonensis, ibi ad 42. inquit: *Neminem audivi de historiâ hac dubitantem; sed non dicitur Cheu Cung rogasse suos Progenitores, tanquam potentes ad liberandum ejus fratrem, sed tanquam intercessores apud Cælum.*

377 Deinceps verò ad num. 44. ait; *Si evidens est, ut demonstretur, quod propositio continet, demonstretur quidem: ego interim proprii ingenii imbecillitatem fatendo, non capio, quomodo ex casu singularissimo (non enim vidi, nec audivi esse similem in libris claſſicis) poſſit in subjecta materia efformari evidens demonstratio. Ab universali ad particulare valet consequentia, non autem contra; casus enim particularis, & singularis, peculiaribus circumstantiis, quæ in alio simili vix reperientur, instructus minimè sufficit ad fundanda principia Religionis apud nationem vastiſſimam.*

378 Et ad propositionem 46. de eadem Historia ait; *evidentia, quam positio adstruere intendit, mibi ex defectu propriæ intelligentiæ non arridet; multa supponit, quæ probanda erant; præterea nescio, quomodo credulitates concordari poſſunt; supponitur ergo, hos atheos credere; Cælum esse Dominum vitæ, & mortis, nec ita intelligentiâ, & potentiâ esse destitutum, ut non poſſit precantes audire, & exaudire; talia*

cre-

credentes Atheos non audeo appellare. præcipuè cùm aliæ plures illationes ab hac historia, quæ ei assentientes ab Atheismo planè liberare posse videntur, deduci possint &c.

379 Demùm ad propositionem 48. circa eandem historiā ait, *Nunc memini, me olim audivisse, Illustris. D. Basilitanum probantem, Sinenses nihil à suis Progenitoribus petere, aut sperare, ex eo, quòd necessitate etiam perurgente numquam ad eos, vel ad eorum parentales domos confugiant, ad aliquid petendum, cùm frequenter pro quacumque necessitate etiam ipsi Literati recurrant ad Idolorum templa; id enim mihi persuasum est, non modò propter præfati Domini authoritatem, quę in rebus facti nō potest magna nō esse, sed quia mihi proponenti Catechumenis, quòd nihil à suis defunctis petere, ac sperare debeant, nullus fuit, qui in minimo repugnaret; idemque prorsus accidit multis Missionariis, quos de hoc interrogavi; ideo mihi probabiliùs videtur, in hoc casu Cheu Cung minimè imitari Sinenses, quòd ex ejus facto dogma universale non resultaverit.* Hactenus Illustris. Ascalonens.

ad n.125. 380 Secundo loco affert Author observat. Textum alium ex citato Libro *Xu King*, de quodam dicto Imperatoris *Puon Keng*, cui & adjungit locum Commentarii, quasi in utroque dicatur, quòd *omnes felicitates, sive infelicitates ab Avis & majoribus, quibus fiunt oblationes, immittantur.*

381 Respondemus, nihil horum haberi in Textibus citatis, sed utrumque ab Illustris. Rosaliensi malè intellectum, ac versum fuisse; Nam Textus ille *Xu king* non dicit, quòd Progenitores defuncti *faciunt felicitatem, faciunt calamitatem*, quemadmodum vertit Illustris. D. sed quòd ipse Imperator, qui loquitur, bona, vel mala suis proceribus facturus sit, ita ut sensus sit: ego (*Puon keng*) faciam: sic enim Textum hunc exponit magnus commentarius libri *Xu King Ta Civen* tom. 5. fol. 9. auctore *V.* ubi Imperatorem *Puon ken* sic loquentem inducit; *quid quid ego faciam boni, aut mali, ad pœnam, aut premium vobis dandum &c.* id quod etiam clarè dicit locus ille Regii Commentarii ab Auctore observat: adductus, & malè traductus, cujus legitima versio hæc est: ego, inquit *Puon ken* ad suos proceres, *dum magnam oblationem feci meis prædecessoribus Imperatoribus, vestros avos ob eorum merita adjunxi convivii Comites in parentali eorum aula, mei prædecessores Imperatores accedentes erant suprà, vestri Avi ad latus; quidquid boni, vel mali faciam (seu quidquid præmii, vel supplicii vobis dabo) verè mei prædecessoribus, ac vestris Avis me conformabo; quomodo sanè ausim immeritos premiare &c. Hic citati Textus utriusque sensus est: ex quo sanè neutiquam apparet, aliquid peti à Progenitoribus.*

ad n.126. ad 129. 382 Tertio loco citat Author observation. Textum ex libro *Xi king*, seu *Carminum*, cui & adjungit locum commentarii *claris verbis* dicentem, inquit, *non solùm Cælum sed ipsos quoque Progenitorum Regiorum spiritus, cùm illis singulis annis rite sacrificium offertur, Imperatori*

ratori felicitatem immittere; ac sic exponentem ea, quibus verbis Impetatorem substitutus alloquitur, *Spiritus advenit, & multa tibi bona concessit &c.* Post facta autem super his ratiocinia sua, dicit Auctor observat. in eodem Lib. *Xi king* innumera ejusmodi testimonia reperiri.

383 Respondemus primò, multùm hic etiam more suo aberrasse Auctorem observat. in referendis, vertendisque istis textibus.

Nam Primò aberravit, referendo, ac vertendo Textum illum libri *Xi king*, quasi in eo *Statuatur*, *quòd oportet faustum diem sortibus assumere, & eligere virum sapientem &c.* nihil enim re ipsa statuitur in eo Textu Capitis *Tien pao* Tract. *Siao ia*, quod citavit in margine, siquidem Commentarius præmonet, hanc esse Odem Convivii (non verò oblationum parentalium) & continere versus, quibus Regulus hospes inter epulas respondet suo Principi benefactori, & in quinque præcedentibus odis laudatori, aitque illum assumere Cælum, ac Majores ejus defunctos ad ei bene precandum, cum innumeris desideriorum modis, scilicet more poetico.

384 Sic autem hæc ode incipit. *Cælum te conservet, ac stabiliat &c.* postea descendens ad Majores defunctos sic ait: *Bonum diem sorte assumere, & eligere bonum cæremoniarum præfectum, servare jejunium, corpus lavare, præparare dapes, istud est obsequiosi filii studium, ad oblationem parentalem faciendam; dum igitur oblationem, sive vernam, sive æstivam, siue autumnalem, siue hyemalem facies tuis majoribus, tum Regulis, tum Imperatoribus, hi principes dicant* (idest juxta commentarium; Puellus actor, defunctum repræsentans, ac jubens lectorum
„ dicere ista verba) Tibi constituo longissimam vitam sine termino;
„ cumque spiritus advenerit, relinquat tibi multam felicitatem; populi
„ nempe tui sint fideles, ac sinceri, habeant alimenta, contenti vivant,
„ omnes per totum imperium tuam virtutem referant &c. quæ si comparentur cum iis, quæ retulit author observat., apparebit, immensum esse discrimen. De illo autem Spiritus adventu, de quo in his textibus aliquando fit mentio, dicetur postea singillatim.

385 Secundò nec minus aberravit Author observat. in referendo vertendoque locum Commentarii, quem ibi adjunxit; sic enim dicit Commentarius; *non modò Cœlum, sed tui etiam Majores te beant*; ille ait, verba ista in ode referri, nec dicit quo sensu verba ista dicerentur, an sensu, quo parentes in vita filiis bene precari solent, an sensu, quo significaretur, majores illos potestatem habere intercedendi apud Cœlum, seu *Xam ti*, (quippe ibi agitur de Majoribus illius Principis, *Cheu, Kung*, de quibus dictum est in resp. ad primum locum hujus observationis) an eo denique sensu, quem *passim* in China receptum esse testatus est suprà ipse Author, observat. in pag. 43. sui libelli, cùm dixit: *iisdem* (majoribus defunctis) *quidquid prosperè successit, præmia, dignitates, & quodvis prosperitatis genus, tanquam ab eis, ET HOC QUIDEM OB ACCEPTAM AB IIS ORIGINEM,*

NEM, ET EDUCATIONEM, *profectum referunt*: atque hæc quantùm differunt ab iis, quæ posuit ibi Author observ. tanquam fundamenta suorum ratiociniorum? quæ proindè iis fundamentis disjectis ruere necesse sit.

386 Respondemus secundo, mirum esse, quòd Illustrissimus Rosaliensis cum suis genuinum, ac sincerum Sinarum sensum circa oblationes mortuorum elicere velit ex odis, seu carminibus, quibus refertus est liber ille *Xi King*, qui proinde liber Carminum, etiam secundum ipsum appellatur, iisque præsertim convivalibus, & in laudem Principum compositis, cum immensis adulationibus,& exaggerationibus, ac Metaphoricis expressionibus, qualibus scilicet abundare solent poëmata, præsertim apud orientales; cùm & in nostris poëmatis, atque hymnis, etiam sacris, quandoque inveniantur non pauca, quæ constat non esse seria, & ad veritatis Catholicæ rigorem accipienda. Atque id eò mirabilius videtur in istis Dominis, quod è contrario expressiones Philosophorum Sinensium; quæ in sensu proprio Deum vivum, & verum ab iis agnitum fuisse sub nominibus *Tien*, & *Xam ti*, ac similibus, clarissimè significant, non nisi in sensu metaphorico, eoque longè absurdissimo accipiendas esse contendant, uti superiùs visum est; cùm tamen apud omnes gentes notissimum sit, in more esse, ut Philosophi propriè, ac seriò, Poetæ verò metaphoricè, & abusivè loquantur.

*an.*130. *ad* 132. 387 Quarto loco profert Auctor observat. libros Rituales Imperii Sinici, atque horum authoritatem statim impensè commendat ex *P. le Comte*, dicente, PeKini constitutum esse particulare Tribunal ad conservandos Ritus in iis præscriptos, aitque, id esse præsertim intelligendum de libris *liki*, *Kiali*, & *Taming hoei tien*. Tum incipit à *liki*, ac dicit, in illo discrimen hoc inter Progenitores referri, quòd, qui Templi jure gaudent, his statis temporibus, illis verò, qui propter antiquitatem Templi honore privantur, non nisi,cum aliquid ad petendum occurrit, sacrificium offeratur, *yeu tao ien chi chi*, *vu tao nai chi*; Ac subjungit ex eodem *liki* cap. *6*., mandatum olim fuisse ab Imperatoribus,ut colligerentur herbæ ad alendas Victimas sacrificiis devotas, quæ immolantur etiam Progenitoribus ab Imperatore, non pro se ipso, & ad privatum commodum, sed pro populo, & ad commune bonum, *y guei mim Ki fo*: Tum accusat pro more suo Jesuitas *Brancati*, & le *Faure*, quod locum illum detruncaverint in suis interpretationibus; Atque his demum adjungit, quod ibidem, scilicet cap. *6*. *liki* refertur, Imperatorem offerre piscem *Goey* in Avorum Templo, ut segetum abundantiam petat.

388 Et si ad hæc aliaque ejusmodi plura sæpius responsum à nostris fuerit, ut videri potest in ulteriori expositione facti dub. 14. Respondemus primò, apparere statim non nullam cotradictionem in dictis Illustrissimi Rosaliensis, id quod ei satis familiare esse videtur, uti jam ex superioribus patet, in eo nimirum, quòd ad commendandam autho-

tho-

thoritatem libri *liki*, aliorumque simul Ritualium Sinicorum, velit ex *P. le Comte*, quem ad hoc citat, *præscriptos in iis Ritus magnâ curâ conservari* seu super eorum observatione diligenter invigilari à Præfectis ad id constitutis, & tamen eos ipsos ritus, quos ex illo libro paulò pòst adducit, significat ipsemet, jam in usu non esse, & solùm usitatos olim fuisse.

389 His addimus, quòd in ipso Prologo libri *liki*, cujus quidem observationem vult Auctor observat. esse Sinis tantopere commendatam, expresse dicitur, multa falsa veris permixta in hoc libro contineri; ac nominatim de capite *Cyfa*, quod ipse hîc primo loco velut tacitus adducit, sine ulla ejus appellatione, quasi deprehendi vereretur, sic ait Interpres *Chin Hao liki* cap. 5. *His quæ dicuntur in isto capite Cy FA, non est admodum magna fides adhibenda*; Tum de capite 6. ejusdem *liki*, quod caput *yue ling* appellatur, & ab auctore observ. secundo, & tertio loco adducitur; ita dicit citatus Interpres; *In hoc etiam capite multa sunt, quæ non videntur satis cohærere Ritibus, & Classicis Sapientum libris*; ac plures similes Auctorum Sinensium in librum *liki* observationes afferri poterunt.

390 Talia videlicet sunt fundamenta, in quibus Illustrissimus D. suas superstruit *demonstrationes*; isque adeò modus est argumentandi, ad convincendos de evidenti Idololatria coram *Sancta Dei Ecclesia* ritus, qui in China vigent, & in controversiam vocantur, afferendo locos librorum, Sinis ipsis improbatos, aut saltem suspectos.

391 Secundò Respondemus singillatim ad locos hîc adductos ex libro *liki*. Primus est idem cum illo, quem jam olim P. Varo P. Philippuccio proposuerat octavo loco, & super quo satis superque responsum fuerat; itaque supposito etiam, quòd locus libri, unde excerptus est, non haberetur pro suspecto, textus hic contrarium omninò dicit, quã velit auctor. observat.; nam in primis non dicitur, quòd Avis, qui sunt in 8. & 9. gradu, erigantur *duo Altaria*, sed quòd pro Avo octavo fiat terræ agger, & pro nono effodiatur scrobs; deinde verborum *yeu Tao yen cy chi, vu tao naj cy*, quæ adduxit auctor. observat., sensus non est, quòd Avis, qui jam sunt extra numerum septem ascendentium, non fiat oblatio *Cy*, nisi quando aliquid ab iis petitur, sed contrarium ibi dicitur.

392 Præterea addit Illustrissimus Rosaliensis, *Tractatus, quem ipse laudat, scilicet Ritualis lyki, auctorem, qui ante annos bis mille scripsit, ab interpretibus argui, quòd non nisi necessitate urgente avis illis sacrificari*, & preces fundi scripserit; *Si enim*, inquiunt, *ita res est, quomodo intelligitur, & cujus usus erit deprecatio, quæ fit in magno sacrificio Hia?* Ubi advertere liceat, ipsummet Illustrissimum D. fateri; auctorem Ritualis *liki* argui ab Interpretibus, adeòque nec omnia approbari à litteratis Sinensibus, quæ ibidem scribuntur; deinde in textu Sinico non habentur verba illa; *cujus usus erit deprecatio*; quæ auctor. observat. hic refert, sed textus ait, *ad quid dicetur in magna*

 oblatio-

oblatione omnium Avorum afferri Tabellas eorum, qui non habent amplius parentalem aulam?

393 Quæ autem in allato hîc ab Auctore observationum textu dicuntur, potiùs ostendunt, talem cultum esse solum politicum, ex eo, quòd Progenitorum Imperialium nomina tabellis inscripta pro gradu ascendentium mutari debeant, & post septimum gradum auferri, nec illis ampliùs fiat oblatio, ex quibus patet, in his solùm ordinem generationis attendi; secùs enim, cur post septimum gradum inter Imperatores non ampliùs fieret illis oblatio, & deprecatio? an fortè, quia tunc amisissent suam potestatem, & divinitatem?

à n.133. ad 136. 394 In aliis autem duobus textibus, quos Affert Auctor observationum ex eodem *lyki*, & quibus dicitur, quòd per oblationes petantur bona pro populo, neutiquam dicitur, quòd petantur bona à progenitoribus, nec etiam dicitur, quòd in omnibus progenitorum oblationibus petantur bona; & ipse Auctor observat. jam supra concessit, in ordinariis defunctorum oblationibus non peti bona expresſè, cum tamen etiam istæ inter oblationes contineantur; bona autem, quæ Sinæ petunt, & deprecationes, quas faciunt, vel pro terræ frugibus, vel pro aliis necessitatibus, eas vel ad *Xam Ti*, vel ad spiritus locorum Præsides, non verò ad Progenitores faciunt.

395 Denique quod spectat ad accusationem ab Auctore observat. intentatam P P. *Barancato* & *Fabro* super *detruncata interpretatione* Textus Sinici, ab ipsis adducti, quasi de industria omiserint mentionem, quæ ibi fit de oblationibus, sive ut ipse dicit, sacrificiis progenitorum; quam accusationem desumpsit Illustrissimus D. à P. Varo, sicut & pleraque alia, quæ affert.

396 Respondemus, quòd PP. Brancatus, & Faber non indigebant extremis illis verbis ad id, quod tunc intendebant, scilicet ad probandum, Sinas antiquos habuisse notitiam verorum Spirituum, ac substantiarum spiritualium; ergo poterant illa omittere sine ulla nota reprehensionis; neque enim ibi quæsitum erat de cultu defunctorum.

397 Erit porrò aliorum judicare, quantò justiùs accusari possit, ac debeat Author observat. tum de detruncatione, tum de prava interpretatione, tum etiam de falsa suppositione Textuum partim Sinicorum, partim etiam Europæorum, quorum quidem sat multa jam specimina in præcedentibus exhibita fuere, & alia plura exhibebuntur in consequentibus.

ad n.137. & 138. 398 Prosequitur Author observationum libros rituales Sinicos, & à *Li ki*, transit ad *Kia li*, cujus unà cum *Li ki* authoritatem, & observationem, velut omnino vigentem, jam antea tantopere commendavit, atque huc adducit *collectionem variarum orationum ad Progenitores*, sive, ut ipse etiam appellat, *variarum precum formulas, quibus Ritualis KIA LI author CHU HI diversis in Casibus, inquit, utebatur, atque ad libri calcem relatæ sunt, ut omnibus in exemplum proponerentur*.

399 Respondemus primò, quoad illam auctoritatem & observationem *Kia li* ab Illustriss. Domino tantopere assertam, non magis, imò, & multò minus subsistere, quæ de hoc Rituali *Kiali* dixit, quàm de præcedenti *Li ki*, constat enim, librum hunc *Kiali* varias passim censuras apud Auctores Sinicos pati, quò magis mirandum videtur, potuisse ab Auctore observationum scribi sub finem num. 138. ex doctis Sinensibus, *ne unum quidem adversus talem, ac tantum abusum*(Orationum illic collectarum) *reclamasse*.

400 Secundò Respondemus, videri, non sine causa Auctorem observat. prætermisso toto corpore, seu contextu Ritualis *Kiali*, transivisse ad *calcem* ejusdem libri, ubi scilicet extare dicit *collectas illas variarum precum formulas*; Vidit enim haud dubiè (quod re ipsa erat) in omnibus parentalium oblationum Cæremoniis, quæ toto illo libro præscribuntur pro variis occasionibus, ut pro egressu, & regressu, pro filii ortu, pro die obitus, pro exequiis, pro sepultura, post sepulturam, pro quatuor anni temporibus &c. ne unam quidem esse, quæ vel minimam orationem, seu petitionem contineret. Unde pronum est judicare, quàm parùm utilitatis ex hujus libri citatione Auctor obser. colligere se posse speravit.

401 Deinde verò, ut veniamus ad illas orationes, quas dixit Author observat. esse ad libri calcem relatas, advertimus statim, malè ab illo intellecta fuisse verba Sinica, quæ in oblatione quatuor temporum continentur, suntque ista *vey vung*, *y kiang*: quæ quidem non significant, ut posuit Illustriss. Dominus, *eum, qui offert, sperare, ut Progenitores, quos alloquitur, beneficia impertiantur*: sed solùm: *ego suspicio, ut descendatis*; de quo descensu dicemus in observatione sequenti.

402 Neque minus aberravit Illustriss. Dominus in exponendâ eâ, uti vocant, *oratione, quam* Doctor *Cha Hy* recitabat, cùm *Progenitoribus nunciaret, se ab Imperatore novam aliquam dignitatem & beneficium accepisse*, ubi & illum inducit dicentem, *sperare se, ut Progenitorum Animæ, si supersunt, gratum hunc habeant honorem, quem ab Imperatore consecutus est &c. Item sperare se, fore, ut illi, vel eorum Animæ* (*quas beneficas appellant*, GEN LING) *nepotes auxilio suo protegant &c.*

403 Patet enim Illustrist. Dominum, aut alium, à quo ista desumpsit, non magis intellexisse phrasim Sinicam prætensæ hujus Orationis, quàm præcedentis; quippe nec ibi significatur, Doctorem *Chu Hi nuntiare suis Progenitoribus, se accepisse novam dignitatem*, neque quidquam petitionis continetur, uti prætendit Auctor obser. in triplici illa formula, quam proponit; Est enim hujusmodi oblatio cum suis formulis ex iis, quæ apud Sinas *Fuen Hoam* appellantur, qua scilicet Doctor *Chu Hi* Parentibus defunctis declarabat per modum cæremoniæ titulum honorarium iis, non verò sibi collatum more Sinico, uti videri potest in *Tamim hoei tien* tom. 74. ubi explicatur, quid

 voces

voces istæ *Fuen Hiang* significent; tum ibidem Doctor ille *Chu Hi* non dicebat, se sperare, sed ita dumtaxat; *dum vos* (*Ngen Ling*) *benefactrices Animæ* (uti scilicet filius apud Sinas appellare solet suos Parentes defunctos ob beneficium generationis, & educationis sibi ab illis, dum viverent, collatum, juxta sensum ab Illustriss. Rosaliensi superiùs agnitum, & probatum) *ego suspicio, & magno vestrum desiderio commoveor*.

404 Sunt autem ejusmodi loquendi formulę aliud nil apud Sinas, quàm Compositiones quædam rhetoricæ ad ornatum, & pompam dictæ, uti satis indicat vox *ven*, qua illæ appellantur, cùm neque id abhorreat à more, qui apud latinos etiam viget in orationibus funeribus. Neque demum ipse Illustriss. Cononensis in novo suo libello talia seriò dicta esse admittit, præcipuè parte 2.

*ad n.*139. & 140. 405 Post suas illas objectiones ex Rituali *Kiali* tam perperam adductas, subjungit Auctor obser. Eumdem librum alio prætereà modo „ digestum fuisse, ac quibusdam accessionibus auctum, atque inter hu„ jusmodi additamenta nonnullas, ait, legi oratiunculas, quas hic referre „ operæ pretium ducit &c.

406 Respondemus, quidquid sit de illis oratiunculis; quas Illustriss. Rosaliensis, *hic referre operæ pretium ducit*, videri nobis omnino non constare operæ pretium, perscrutari, & citare novum istud *Kiali*; nam liber iste ita *digestus*, & *auctus*, tam rarus est in China, ut à nobis sollicitè quæsitus in pluribus Chinæ Provinciis apud bliopolas, inveniri nuspiam potuerit, sed ille alius dumtaxat, in quo, ut antea dictum est, variæ continentur oblationum formulà, pro variis occasionibus etiam matrimonii ineundi, & aliis, de quibus mentionem hic inducit Author observationum, & in quibus tamen nulla est forma, aut species deprecationis, uti eo loco ostendimus: quare certò certiùs est, *Librum illum Kiali ita digestum & auctum*, non esse in usu communi apud Sinas; atque si fortè deprecatoria illa in suis additamentis habeat, quæ inde retulit Auctor obser. (bene, an malè, judicium esto ex aliis) talia additamenta ab alio malè adjuncta sunt, eaque fuerit procul dubio ratio, cur rejectus, aut neglectus passim fuerit apud Sinas liber *ita digestus*, & auctus.

407 Ex quo vel obiter liquere potest, quàm parùm sincerè procedat Illustriss. Rosaliensis, unà & alii Adversarii in investiganda genuina Sinarum Doctrina super ritibus controversis, dum minimè contentus, genuinos Sinarum textus pro libitu invertere, aut detruncare, uti jam antea tam sępe vidimus, tam sollicitè insuper omnia undequaque, sine ullo discrimine, colligit, quæ in omnibus Sinarum libris, etiam apocryphis continentur, ut falsa aut supposititia cum veri, ac sinceris confundens, chaos quoddam inextricabile *Sanctæ Dei Ecclesiæ* Sedique Apostolicæ obtrudat.

408 Demùm, dum ita querimur de sinceritate Auctoris istarum observationum in citandis Sinicis libris, ecce quomodo eadem continuo de-

desideratur in citandis libris Europęis; siquidem statim, atque citavit, ac produxit *additamenta illa sui libri KIALI*; *alio prætere a modo digesti, ac quibusdam accessionibus aucti*, citat P. Le Faure, quasi videlicet ejusdem *kiali* approbator esset, dum ait pag. 92. ibi citata de Libro *kiali* communi, & ordinario, ac diverso ab illo, quem Illustriss. Rosaliensis proximè citavit, fuisse illum conscriptum ante sexcentos annos à Doctore CHU VUEN KUNG, atque ab aliis post modum sic illustratum commentariis, ut in ipso textu tradatur, si quid inter vetustum, ac recentem Ritum Sinicum discriminis intercedat; Constat enim, istum Doctorem *Chu vuen kung* eumdem esse, ac illum, quem Auctor observat., loquens de priore *kiali*, appellavit *Chu Hi*; quem & illius auctorem esse dixit; Cur ergo locutus de posteriore *kiali*; idest aucto aliquot additionibus, induxit statim Illustriss. D. P. Jacobum Le Faure, tanquam in hujus *kiali* commendationem locutum, qui tamen non nisi de priore *kia li* locutus est? Tantine est apud Illustriss. D. Auctoritas, vel unius Jesuitæ, etiam in re non summi prorsus momenti, ut per fas, & nefas trahi in ejus partem debuerit; id quod & jam constat non semel ab illo tentatum fuisse.

409 Prętérquam ex eo loco P. Le Faure, quem ibi pro se, tametsi minùs sincerè adduxit Auctor observat., satis liquet, non esse pro germana Sinensium doctrina accipiendum, quidquid ex illo etiam priore *kiali* profertur, contra quam prætendere visus est Illustriss. Dominus; cum sint, ut ipsemet refert, Commentarii Sinici, ostendentes in ipso textu, siquid inter vetustum ac recentem Ritum Sinicum discriminis intercedat.

410 Restabat Auctori observat. ut ex tribus libris Ritualibus Sinicis, quos supra indigitavit, tertium tandem adduceret, hoc est Librum *Ta ming hoei tien* dictum, quem hic dicit, esse librum *maximæ auctoritatis*, in hoc autem Libro, inquit, Illustriss. D. *reperiuntur odæ in sacrificiis Avorum Imperatoris recitari solitæ, ex quibus videri potest, an Sinæ nihil sperent, & petant à suis Progenitoribus*? Tum dicit, se ex iis aliqua hic relaturum, plura ad calcem paginæ; & in margine affirmat, *innumeras petitiones ipsis Progenitoribus inscriptas eo Rituali Regio contineri*. *ad n.141.*

411 Respondemus primò, de auctoritate hujus libri apud Sinas idem esse intelligendum, quod de duobus præcedentibus dictum est; nimirum falsum est; illam esse tantam apud Sinas, ut Ritus omnes in hoc libro contenti observentur; cùm in hoc ipso libro perinde ac in præcedentibus expressè dicatur non semel; *hoc non fit*, pręter quam quòd hic liber potissimùm exponit ritus solùm unius regię familię, quę tamen jam extincta est.

412 Respondemus 2., illa ipsa, quæ adducit Ill. Rosaliensis ex hoc libro *tantæ* apud ipsum *auctoritatis*, esse de iis, quę re ipsa non fiunt; sunt enim excerpta quędam ex duabus odis pertinentibus ad duas quasdam oblationes extraordinarias, quas Imperator *Kiacim* instituerat,

 &

& quarum unam sublatam esse liber ipse dicit. Tum (quod pace Ill. D. dictum sit) verè hic ostendit Auctor observat. se non intellexisse Sinicum idioma istarum odarum; siquidem in latina versione Textuum, quos profert, multa sunt, quæ Sinico non correspondent.

413 Neque porrò mirandum foret, aut in consequentiam trahendum, si qua verba deprecationis speciem habentia in ejusmodi odas inserta fuissent in gratiam unius Imperatoris, pro duabus ejus oblationibus particularibus, quæ sublatæ postea fuere; quamquam formula illarum, quæ extat, & intentionem offerentis declarat, nihil omnino deprecationis contineat, sicut nec formula oblationum ordinariarum cum suis odis, quæ in eodem tom. 86. Libri *Ta mim hoei tien* reperiuntur.

414 Accedit, quòd de ejusmodi odis, quæ ad particulares quasdam, & extraordinarias quorundam Progenitorum, præsertim regiorum, oblationes adhibentur, & aliquid deprecationis habere videntur, dicit Illustriss. D. Maigrot p. 53. sui libelli circa medium, id fieri *ex poeticâ licentia*, esseque proinde tanquam poeticè, seu fictè dictum, non autam seriò intelligendum; Id quod & probare contendit tota 2. parte sui libelli, aliisque locis, ex quo magis mirum videri debeat, similes deprecationum species ab Illustsis. Rosaliensi huc afferi, tanquam seriò dictas, & tanquam ad omnes Progenitores defunctos universim pertinentes.

ad n.142. 415 Sed utcumque res se habeat, post ita excussos classicos Sinarum libros, convertit se Author observat. ad Jesuitas, sive ut se alicujus ex illis auctoritate tueatnr, sive potiùs, ut suam in illos bilem exonaret, ut videre est in sequentibus; *quæ in laudatis*, inquit, modò classicis li-
„ bris factæ majoribus defunctis referuntur precationes, adeò evidentes
„ P. Le Faure visæ sunt, ut coactus sit animo fingere, non ad quoscum-
„ que defunctos dirigi, sed dumtaxat ad Sanctos, quos Cœlesti patria
„ potitos adhibebant intercessores apud Supremum Imperatorem &c.
Ac post aliqua ejusdē Patris loca in eam sentētiam relata, insurgit more suo Illustriss. D. in Jesuitas, *quod &c.*

416 Respondemus, multa hîc esse ab Illustrissimo Rosaliensi congesta, quæ multiplici indigent correctione; nam primò citat Patrem le Faure, quasi *evidentes* ei fuerint *precationes*, quas Auctor observat. dicit à se relatas esse ex classicis libris, à se modo laudatis; & tamen id *evidenter* repugnat verbis, & contextui ipsorum etiam locorum, quos Illustrissimus Dominus adducit ex libro prædicti Patris, siquidem in his nulla mentio est de prætensis illis precationibus, quas Auctor observ. ex *Kiali* præsertim, & *Ta Mim hoei tien famosis illis ritualibus libris*, tantoperè *à se modò laudatis*, tanto conatu deprompsit, quin immò ipse P. le Laure post illa verba, quæ ex ipsius p. 227. retulit Auctor observat. in quibus fit mentio libri *Liki*, hæc subjecit, (à quibus tamen referendis multum sibi cavit Illustrissimus Rosaliensis, utpote nimis intentioni suæ contrariis:) Verum (inquit) hinc no-

„ va

„ va probatæ hactenus veritatis confirmatio potiùs, quàm infirmatio
„ exurgit, nam cùm neque statis temporibus perficiendæ in ipsa majo-
„ rum aula oblationes, neque peragendæ in cæteris omnibus aulis, de-
„ precationis quidpiam continerent, hinc efficitur, illis dumtaxat he-
„ roibus oblatum quandoque petitionis causa fuisse ex singulari quo-
„ dam Imperatoris affectu, nusquam verò institutas ad communem avo-
„ rum cultum oblationes deprecatorias; & verò cùm sæpius Imperato-
„ res juberent offerri spiritibus ad eorum opem exposcendam, nusquam
„ indixere, ut idem erga majores præstaretur ex *lyki* lib. 5. nec imme-
„ ritò, cùm citra regiam nullus ex iis, qui passim coluntur, defunctis à
„ Sinis tum antiquioribus tum modernis pro sancto habitus sit.

417 Secundò in Jesuitas invehitur Illustrissimus Dominus, *quòd virtutem ly: seu subtilem cœli materiam in verum Deum transformarint*. *ad n.143.*

At præter quam quòd *ly* apud Sinas non significat *virtutem*, ut exponit Illustrissimus Dominus, sed *rationem*, certè nullibi, quòd sciamus, Jesuitæ per vocem *ly* Deum verum apud Sinas compellarunt, & in memoriali nostro novissimo num. 22. Testimonium contra hujusmodi *ly* à nobis productum est; hoc scimus, sciuntque plerique etiam Chinæ Missionarii, ipsum esse Illustrissimum Rosaliensem, qui plurimùm propenderit ad Deum vivum, & verum, nomine *ly* in China compellandum; multò autem magis à Jesuitis abhorret illa blasphemia, quam iisdem idem impingit *de subtili Cæli materia in verum Deum trasformanda*, certè nec nos Illustrissimum D. accusabimus de vero Deo in subtilem Cœli materiam transformando, licet tantopere laboret, ut non nisi pro subtili Cœli materia habeatur supremus ille Dominus, quem Sinæ tum Cristiani, tum gentiles se agnoscere profitentur sub vocibus *Tien*, *Xam ti*, *chaçai*. & similibus, eumdemque esse, ac ipsum *Tien chu*, seu Cœli Dominum, & Deum verum, quem ipse Illustrissimus D. cum cæteris Christianis agnoscit, uti videre est in novissimo nostro Summario locis in memoriali indicatis à num. 12. ad 23.

418 Tertiò pergit ibidem Illustrissimus D. in Jesuitas invehi, *quòd spiritus tenebrarum in Angelos lucis transformarint, & insuper commenti sint, Progenitores quosdam, licèt ad infernum detrusos, velut patriæ Cœlestis incolas cultu dubiæ à Sinis honoratos fuisse*.

419 Nihil horum subsistit, pace Illustrissimi D., nuspiam enim Jesuitæ dixeruht, omnes, quos Sinæ colunt, spiritus, esse Angelos Sanctos, neque commenti sunt unquam, eos Progenitores, qui in infernum detrusi essent, à Sinis coli, velut in cœlo manentes; verùm id solùm dixere, priscos Sinas ex Noemo prognatos, veri Dei, Sanctorumque Angelorum notitiam, & cultum ab illo traxisse, ac verosimiliter per longum tempus utrumque servasse; & quod spectat ad Progenitores illos, Cœlestis Patriæ incolas, hoc solùm dixerunt Jesuitæ, quod dixit Illustrissimus D. in historia *Chen cam* ab ipso superius relata, nisi fortè crimini dandum sit Jesuitis id ipsum asserere, quod asserendum

esse contendit Illustrissimus D., qui & hic pro sua auctoritate ad infernum detrudit priscos omnes Sinas, quacumque virtute fulgentes, quasi aliquam de hoc ipso revelationem habuerit, aut quasi contra fidem esset, ac non potiùs secundùm illam, potuisse homines ante Christi Domini adventum, non solùm tempore legis (ut vocant) Naturæ, sed etiam tempore legis scriptæ, seu Mosaicæ, ubicumque salvari cum necessariis utique gratiæ divinæ auxiliis, uti videre est apud D. Thomam 1. 2. q. 98. art. 5.

420 Quartò dicit Illustrissimus Dominus, *quòd velut deliramentum Sectæ literatorum contrarium apud Sinas reiiceretur distinctio illa inter Progenitores Sanctos, & non Sanctos; quia secundùm ejus Sectæ principia omnnes animæ in aërem disperguntur, & subtili Cœli materiæ conjunguntur*.

421 Hìc non possunt Jesuitæ non mirari summam illam ingenii vim, qua præditum esse oportet Authorem observat:, ut duo ista connectat; Unum est, quòd Sinæ seriò credant, animas suorum majorum post mortem in aërem dispergi, ac in subtilem materiam resolvi; Alterum est, quòd iidem Sinæ seriò preces, votaque, concipiant ad easdem animas ita dispersas, & resolutas, rogando illas, ut protegant nepotes, ac supponendo illas *audire, magnopere lætari, respicere, intelligentiâ, & providentiâ pollere, aliaque similia*, quæ idem Auctor observat. tanquam seriò dicta, & credita à Sinis, attulit paulo ante, scilicet pag. 54. & 55. istarum suarum observationum; sanè si ea sit Sectæ literatorum doctrina, dicendum erit, non extra illam, sed in ipsamet tali doctrina inesse deliramentum omnium, quæ fingi possint, maximum, adeò, ut perinde futurum sit secundùm Illustrissimum Rosaliensem, agere cum literatis Sinensibus, ac cum hominibus manifestè deliris, & amentibus.

422 Quintò dicit Illustrissimus Dominus, Patrem Brancati fateri, & probare ex pluribus textibus Sinensibus idipsum, scilicet, quòd *Sinæ secundùm Sectæ literariæ principia arbitrentur, omnes majorum animas post mortem in aerem dispergi, ac subtili Cœli materiæ conjungi*, & ad id citat Patrem Brancati 2. lib. pag. 75. ubi sic ait, Commune
„ est illud dictum in libris *liki*, *quando scilicet quis moritur*, *hoen Xim*
„ *pe Kian* ideſt, anima ascendit, corpus verò descendit, commentator,
„ hoc libro sic ait: Anima petit Cœlum, Corpus verò revertitur in Terram &c. Tum ipse auctor observationum subdit; *& quod Imperatores defunctos spectat, usus invaluit, ut de eo, qui proximè defunctus fuerit, dicatur, in CÆLUM ascendisse, nec dubito, quin ab hodierno Imperatore capite is plecteretur, qui Patrem ipsius, aut Avos in Cœlo commorari negaret*.

423 Mirum est, quantum, & quàm evidenter aberrare soleat Illustrissimus D. in suis citationibus, præsertim ubi agitur de citandis Jesuitis, quorum tamen, cùm latinè scripserint, ut faciliores sunt, ita & accuratiores citationes esse debuerunt, & ex quibus interim pronum erit judi-

judicare de citationibus Authorum Sinicorum ab Illustriss. D. citatorum, utpote abstrusiorum, ac longè minùs obviorum; Nempe P. Brancati loco illo proximè adducto, nec *fatetur*, nec *probat eum*
„ *suis illis Textibus Sinensibus*, Sinas secundum Sectæ literariæ principia arbitrari, omnes majorum animas post mortem in aerem dispergi, & subtili Cœli materiæ conjungi, ut liquet ex ejus verbis immediatè sequentibus, quæ sic habent. *Si igitur anima Cœlum petit, ergo non manet anima in illa Tabella*, & paulò post; *Dico*, inquit, *omnes Sectas, quæ hodie vigent inter Sinas, reduci ad sequentes; Primò, vel enim est ANTIQUORUM SECTA LITERATORUM, qui cognoverunt unum principium, atque adeò Deum; Item cognoverunt animas hominum non interire, sed habere in Cœlo præmia, sicut fuere Ven vam (Rex Sinarum, hic probus, & rectus & multis excultus virtutibus) eò alios item pœnas suarum iniquitatum luere, sicut mali illi reges KIE, & CHEU, & alii; atque adeò, qui modo profitentur hanc Sectam, minimè dicere possunt, animas defunctorum in illis Tabellis residere; secundò vel est Secta literatorum, qui atheismum profitentur, & animas hominum post mortem putant evanescere, & in auras resolui, & qui talem hodie Sectam profitentur, nec dicere possunt animas in illis Tabellulis requiescere posse, posito quòd in auras sint resolutæ &c.* ecce nimirum; quomodo Illustriss. Rosaliensis abuti solet nomine, & auctoritate Jesuitarum, ad fucum suis assertionibus faciendum.

424 Verùm quid opus erat Illustriss. D. recurrere ad commune illud
„ dictum veterum Sinarum, anima ascendit, corpus verò descendit;
„ seu anima petit cœlum, corpus verò revertertitur in Terram, ut pro-
„ baret, Sinas juxta Sectæ literariæ principia arbitrari, animas post
„ mortem in aera dispergi, ac subtili Cœli materiæ conjungi? non ne; & nos similem phrasim in Sacra Scriptura invenimus, quin propterea quidpiam simile de nostris animabus arbitrari, aut rectè inferre ex his verbis possimus, ut cùm dicitur Eccl. 3. *quis novit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus jumentorum descendat deorsum?* Et ibidem cap. 12. *Antequam revertatur pulvis in terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.*

425 Omittimus, quod subjunxit Illustrissimus Rosaliensis, se non du-
„ bitare, quin ab hodierno Imperatore capite is plecteretur, qui Patrem
„ ipsius aut Avos in Cœlo commorari negaret.

Cùm Illustrissimus D. tam hospitem, ac peregrinum sese ostenderit in iis, quæ ad Imperatoris aulam spectant, uti supra visum est in notis ad observationem unicam de forma, & auctoritate responsi regii, fortè aliud nihil dicere voluit, quàm se non habere rationes dubitandi, sive ut vulgò dicitur *pro, & contra* ad quidquam super ea re in utramque partem determinādum; nos enim præ manibus habemus libellum Sinicum, è China Romam allatum, quem P. Ferdinandus Verbiest Pekini composuit, & Imperatori Sinarum exhibuit, in quo status animarum post mortem, & æternæ inferorum pœnæ iis decretæ anima-

tus;

bus; quæ in hac vita præcepta Dei non observarint, dilucidè explicantur. Legit hunc libellum Imperator, notasque aliquot sua manu addidit, quæ, & in eo exemplari, quod hîc habemus, videri possunt, nec demum quidquam mali cuiquam inde contigit. Est & liber P. Riccii, quem Imperator in linguam tartaricam verti jussit, in quo animę immortalitas fusè demonstratur; & hic liber nihilominus tum ab Imperatore, tum à literatis Sinensibus maximi æstimatur.

ad n.144. & 145. 426 Affert jam author observationum quasdam reflexiones suas, quibus declaret, quomodo dictum illud Decreti Imperatoris (juxta *literatorum ritum de petendo auxilio mentio* non fit) sit intelligendum, atque illas quidem suas reflexiones modo satis intricato proponit, quæ videntur demum ad ista duo reduci; Primum est, quòd dictum illud sit de ordinariis solùm oblationibus, & de illis petitionibus, seu precibus, quæ pro uniuscujusque nutu propter privata bona impetranda fierent, quia Ritus isti habent suas determinatas cæremonias, quæ non debent pro cujusque nutu immutari; id quod variis glosis, & commentariis probare conatur: Alterum est, quod Sinæ illas oblationes animo à cupiditate alieno fieri desiderant, eò perfectiores esse arbitrantes, quò magis ob purum amorem, & reverentiæ affectum factæ fuerint, quod tamen non impedit quin aliquid petatur, ubi se dederit occasio, aut necessitas, *uti passim*, inquit, *re ipsa fieri latissimè evidentissimèque supra demonstratum est*.

427 Respondemus, nihil de novo probari per istas reflexiones Auctoris Observationum, post illa tam multa, quæ hactenus ab illo allata sunt, & à nobis refutata, ubi scilicet tam latè ostensum est, prætensas ejusdem *demonstrationes* nihil esse, nisi pura sophismata, ac perpetuos paralogismos, cum mutilis falsisque Sinicorum, & Europæorum librorum allegationibus, aut interpretationibus conjunctos; & verò quo tandem medio, aut cui demonstrare se posse speret Illustriss. D., Sinas, homines ceteroqui non penitus stultos, aut non omni ratione destitutos, petere aliquid, atque sperare seriò posse à puro aere, aut subtili materia, omnis intelligentię expertè, in quam ipse sentit illos *arbitrari, juxta Sectæ literatorū principia animas majorum suorum esse post mortem resolutas*? videri potest præter illa, quæ superiùs, & alibi dicta sunt, Interpres Sinicus libri *Xi Kim* tom. *Ta ya* oda *ven vang*, ubi expresè, & absolutè dicit, *majores defunctos carere omni potestate*: quibus accedunt tot tantaque testimonia, nostro novo Summario comprehensa locis citatis in adjuncto memoriali num. 34. & sequentibus.

ad n.146. 428 Revertitur Auctor Observationum ad probandam suam assertionem, quasi diffisus suis illis *latissimis, & evidentissimis demonstrationibus*, quibus illam supra probatam à se fuisse, proximè asseruerat, itaque probat illam denuo, Primò testimonio Patris Augustini à Sancto Paschali, quod dicit se addere in gratiam Patrum Societatis; secundò testimonio Imperatoris hodierni, in suis ad librum

clas-

classicum Historiarum Commentariis, dicentis: *In quacumque Cæremonia, Chi dicta, constantem, & perpetuum esse morem bibendi versus finem vinum felicitatis ad recipiendum munera spiritus, &c.*

429 Respondemus, quoad Testimonium Patris Augustini à Sancto Paschali, quod hìc profertur, cùm ad pleraque in illo contenta jam satis responsum sit tum suprà, tum in Libro à nostris oblato, cui titulus est *Ulterior expositio facti*, non videri operæ pretium, in eo singillatim refellendo, aut expendendo immorari; præsertim cùm ad manus habeamus brevius & expressius ejusdem Patris testimonium, quod jam in nostro Summario anni superioris pag. 31. circa finem exhibitum est, & quod hìc repræsentare lubet in gratiam Auctoris Observationum, cui haud ignotum esse debet; ut videat scilicet, quomodo unum cum altero consistere possit; Sic enim locutus est P. Augustinus à Sancto Paschali in respons. ad epist. D. Abbatis de Lionne num. 127. Sinæ nullam divinitatem animabus defunctorum concedunt, nihil ab iis sperant, aut petunt. Hæc ultima verba (Patris Martinii) video ego posita cum maxima advertentia, & ostendit (*Pater Martinius*) in illis intelligentiam, quam habebat de rebus Sinicis; nam in doctrina Sinica invenio illa esse vera.

430 Denique ad testimonium Imperatoris ibi adductum ab Auctore Observantionum respondemus, Illustris. D. non tantùm sibi contraria dicere, verùm etiam velle, ut ipsemet Imperator sibi ipsi contradicat; nam in suis commentariis in librum *ye Kim* tom. 10. fol. 56. dicit: *dum Imperator adit funebrem majorum aulam ad colligendum in eorum oblatione spiritum, id non facit ad quærendam felicitatem, seu bona*; Idemque tom. 13. fol. 32. rursus dicit, debere Imperatorem cavere, *ne faciat oblationem ad quærendam felicitatem &c.* *ad n. 147 & 148.*

431 Neque vero illa verba Sinica *y Ling Xin Cu*, quæ ab Auctore Observationum referuntur, significant, ut ipse contendit, *ad recipiendum munera spiritus, seu quæ spiritus dat vel daturus est*; ut ipse ibi illa exponit, sed solum significant, ad recipiendam faustam spiritus apprecationem, propterquam scilicet vinum istud vocatur, *vinum faustitatis, vel felicitatis*; hanc autem apprecationem Puellus, defunctum repræsentans, jubebat recitari à lectore; nimirum sicut pater in vita multam apprecari solebat felicitatem filio obsequioso, ac bene agenti, ita lector iste vel Puer induens benevolum defuncti animum, illam parentis nomine filio apprecatur, quin illam filius parentans petat; Tum Pater familias, peracta parentali oblatione, similem felicitatem filiis ante se genuflexis apprecatur, ut habetur *kiali* tom. 7.

432 Neque item verum est, quod ibidem dicit Author Observationum, *in quacumque Cæremonia Chi constantem, & perpetuum morem esse bibendi vinum felicitatis*; Nam Doctor *Han goei* agens de domesticis oblationum ritibus, dicit, hanc cæremoniam bibendi vini faustitatis jampridem non fieri in oblatione parentali quatuor temporum, aliisque duabus oblationibus, quibus illam liber *kiali* adjunxit, quin

&

& liber *Ta mim hoei tien* tantæ juxta Illuſtriſs. D. apud Sinas auctoritatis, non habet iſtud vinum fauſtitatis in multis Cæremoniis *Chi* dictis, ut uidere eſt tom *96. 97. 98.* & *99.* Et licet in Confucii oblatione Mandarini ad labra illud vinum admoveant, non tamen recitatur formula ulla apprecationis, uti videre eſt in eodem *Tamim hoei tien* tom. *91.*&c.

NOTÆ

In Obſervationem Quartam.

333 IN hac Obſervatione tractat Illuſtriſs. D. Roſalieuſis quartum punctum ex illis quatuor, quę ſibi in prologo capitis ſui ſecun-
„ di expendenda propoſuerat, nimirum, an exiſtiment Sinæ, defun-
„ ctorum animas, ſeu animarum aerem ad tabellas, te mpore præſer-
„ tim Sacrificii, accedere; ita enim ille ſe ibi exprimit.

434 Duo autem hìc oſtendere conatur in eum finem. Primum, quòd declaratio Regia aliud non aſſerat, quàm non dari viſibilem defunctorum in tabellis præſentiam, inviſibilem tamen ſpiritus eorum præſentiam non neget; Alterum, quòd credant Sinenſes, juxta ſuam communem doctrinam, animas defunctorum in aerem diſſolui, & hunc diſſolutum aerem, dum defunctis fiunt oblationes, denuò uniri, & ad tabellas venire.

435 Primum ut demonſtret, dicit: hæc verba *yu caj*, *quaſi adeſſent* (po-
„ ſita in declaratione regia) in quibus tota eſt (inquit) difficultas, jux- *a n.147. ad 157.*
„ ta Sinarum mentem, & doctrinam intelligi de præſentia viſibili: cùm
„ ea verba in textu Sinico, ex quo deprompta ſunt, pariter de defunctis
„ uſurpentur, ac de aliis ſpiritibus, quos Sacrificiis adeſſe non ambigi-
„ tur &c.

436 Reſpondemus, ab Auctore Obſervationum artificioſè diſſimulari integram præcedentem periodum, ac referri ſolùm ultima duo verba *yu cai*, aliis omiſſis, dicendo in his *totam difficultatem eſſe*.

437 Decreti regii verba juxta originale Tartaricum hæc ſunt: De Ta-
„ bellis, quas erigunt Avis, & Majoribus ſuis, dicimus eas non ideo eri-
„ gi, quòd credant, defunctorum animas in iis reſidere, vel ut fauſta,
„ ac proſpera ab eis petant, ſed coram illis tabellis dapes apponunt, &
„ oblationes faciunt, tantùm ut in ipſis quaſi vivis, & præſentibus
„ amorem, & reverentiam deferentes, eo pacto demonſtrent conſtans,
„ ac perpetuum ſtirpis ſuę Authorum deſiderium.

438 Sinica verò verſio, ut eam ipſam, quam Author Obſervat. ponit,
„ aſſumamus, ita ait: Licèt erigantur Progenitorum tabellæ, non eſt,
„ quòd illorum animæ ſint in ligneis tabellis: ſolùm filii, & nepotes
„ excitantur ad gratias pro beneficio originis diviturnas agendas, qua-
„ ſi progenitorum animæ ibi eſſent. Reliqua autem verba, *Præſentia ſcilicet viſibili*, Author ex ſuo capite addit, nam decretum regium

ea

ea non habet. Adeòque declaratio hæc regia non solùm visibilem Progenitorum præsentiam negat, sed expressis etiam verbis asserit, animas illorum non esse in tabellis. Præterea illas tabellas *SOLUM* ad excitandum filialem affectum poni dicit. Qua igitur fide Author Observationum hæc adeò clara, & expressa verba penitus non considerando, asserit; *totam difficultatem esse* in duobus verbis, *yu cay*, *quasi adessent*?

439 Dum ergo in hac sua Observatione Author illius demonstrandum suscipit, animas seu spiritus Defunctorum revera venire ad tabellas; declarationi regiæ, toto in Imperio Sinico magna cum approbatione receptæ, directè contradictorium ostendere conatur.

440 Quod verò ad illam paritatem cum aliis spiritibus attinet, longè à vero abest, quòd nullam Sinæ inter defunctorum animas, & alios spiritus differentiam agnoscant, etiam stando in isto modernorum aliquorum Systemate, in quo vim facere conatur Author Observ. siquidem famosus ille & libris, & gesto Magistratu Interpres Doctor *Cay*, in *su Xu mung yn* tom. 5. fol. 48. ad explicationem hujus textus libri *Lun yu* sic ait: Dum dicitur Cæli, Terræ, Montium, fluminum, „ regionum, frugum vitalis, seu productiva aura (vel potiùs vivens „ spiritus) qui ab omni ævo nec interit, nec mutatur, simul ac fit illi „ oblatio, statim illam gratam habere, hoc certè verum est: sed homo „ mortuus, postquam corpus in terram, & anima in Cælum reversa est, „ statim mutatur, interit, ac omnino desinit: & paulò infra: aer autem, „ seu spiritus, postquam semel dissipatus est, nunquam ampliùs potest „ colligi, aut coagulari.

441 Præterea nec illud verum est, quòd alios spiritus re ipsa ad tabellas accedere nemo negaverit. Certè Sinenses quandoque eos, ut in alto existentes, & preces supplicum exaudientes alloquuntur; plerumque ita de iis agunt, ut satis clarè ostendant, se nescire quid, vel ubi ij sint.

442 Et in sententia Dominorum Adversariorum per spiritus apud Sinas non intelligitur aliud, quàm occulta, & materialis vis aliqua, quæ rebus insit, & illis intimè uniatur, quæque ab ipsis rebus materialibus penitus indistincta sit, dum ergo quatuor Marium, Fluminum, Montium, & Regionum &c. Spiritibus sacrificant Sinæ, an credent, hanc materialem virtutem intimè unitam, vel etiam indistinctam omnino à quatuor Maribus, Fluminibus, Montibus, & Regionibus &c. revera venire, aut tabellis inhærere?

443 In his numeris Author observationum dicit, *infidelem esse P. Couplet interpretationem*, quòd ex verbis *yu Cai*, *quasi adessent*, colligat, Sinas non fuisse in hoc errore, quòd defuncti assisterent oblationibus: è contra verò eadem verba de spiritibus dicta, solum de visibili eorum præsentia exponat. Similiter ait Author Observat. locum ex Commentariis moderni Imperatoris desumptum à duobus Societatis Procuratoribus in suo Summario pag. 37. *Mala fide* allegatum esse: ad- *à n. 252. ad 255.*

dendo eam exclamationem : *proh dolor, nullus est in China liber, quibisce Commentariis apertiùs præseferat Sinarum Atheismum, & Idololatriam, clariùsque ostendat, quantum Avorum cultus superstitiosus sit.*

444 Respondemus, ex paulò ante dictis satis patere, magnum à Sinensibus inter animas defunctorum, & alios spiritus discrimen fieri, adeoque dum P. Couplet hanc diversitatem ab ipsis Sinensibus annotatam exprimit, non infideliter, sed juxta legitimam Sinarum doctrinam textum vertit. Quòd verò ad textum ex Commentariis Imperatoris petitum attinet, quis potiùs dicendus est eum malè vertisse? an Patres Procuratores, qui eum, prout sonat, exponunt; an verò Author observationum, qui, dum Imperator ait, spiritus verè non adesse, hoc dictum Imperatoris intelligi vult solùm de præsentia visibili, quasi verò animæ præsentia, quæ invisibilis est, non esset vera præsentia. Deinde quid, quæso, *risu dignum occurit* Authori Observationum in eo, quòd voces *Quei Xin* P. Couplet exponat de aliis spiritibus, & PP. Procuratores eas exponant de animabus defunctorum, cum indubitatum sit, per eas voces apud Sinas quandoque unum, quandoque alterum significari, sicut apud Latinos est vox *spiritus*, per quam quandoque anima humana, quandoque alii spiritus, quandoque etiam vitales spiritus, vel aura vitalis significatur; cùm tamen Sinæ magnum discrimen agnoscant inter spiritus defunctorum, ac alios spiritus, ut alibi ostendimus, & ex circunstantiis colligendum erit, de quibus spiritibus variis in locis sermo sit, nisi quis omnia confundere velit.

à n. 156. ad 158. 445 Incipit hîc Author observationum præcipuum suum Systema exponere, secundùm quod vult credi à Sinis, animas defunctorum post mortem quidem in aerem resolvi, sed deinceps, cùm oblationes illis fiunt, virtute aliqua Sympathica dispersum illum aerem denuo colligi, & ad oblationes, vel tabellas attrahi.

Respondemus, hoc nonnisi figmentum esse, ut ipsa etiam rei incredibibilitas satis ostendit. Nec certè adeò stolidi sunt Sinę, ut similes fabulas, cum omni ratione tam apertè pugnantes, facilè sibi persuadeant: & si pauci aliqui privati ita delirarent, certę de integra natione satis erudita, & exculta, id neutiquam supponi poterit; imò quàm diversimode Sinenses juxta suam genuinam doctrinam sentiant, & quantùm abhorreant à similibus quorumdam somniis, satis jam ostendimus in nostro memoriali nuper oblato à n. 41. ad 46.

446 Contendit Author observationum probare hanc phantasticam dispersi defunctorum spiritus unionem ex commentariis regiis, in quibus dicitur, tempore perturbationis, & confusionis in Imperio adiri aulas progenitorum (Templa vertit Author observat.) & ibi *dispersum Progenitorum aerem colligi &c. progenitorum spiritus dispersos revocari, & confirmari &c. ibi habere progenitorum spiritus, in quo insideant, & fulciantur &c.*

447 Res-

447 Respondemus, quo sensu Litterati Sinenses similia dicant, satis ipsimet explicant; ipse textus, qui hoc n. 156. refertur juxta Authoris observat. propriam expositionem, hæc habet. *Cùm Imperator acceptam ab illis institutionem, magnaque illorum merita celebrat, &* (hac ratione) *Præfectorum, ac Populorum corda conciliat, tum coram illis se gerit, ac si præsentes adessent, JU CHAI.* Ergo, juxta ipsiusmet Illustriss. Domini de Lyonne expositionem, per hoc habetur *ju chai, sive quasi spiritus præsentes adessent*, quòd scilicet accepta à parentibus *Institutio*, & *magna illorum merita* celebrentur, & hac ratione Præfectorum, ac populorum *CORDA* concilientur.

448 Id etiam testari videtur Illustriss. Cononensis in suis observationibus pag. 34. ubi textum quemdam Authoris *Kieu Kiung Xan* expo-
„ nens hæc refert. Ea verò de causa Imperator Supremo Imperatori
„ *Xang Ti* offert sacrificium *Kiao*, ut dispersum per singulas rerum om-
„ nium species Cæli aerem adunet, atque in Cælum tanquam in origi-
„ nem, & fontem referat. Ea pariter de causa Progenitorum principi
„ sacrificat, in templo, ut dispersum in omnes familiæ ramos primi
„ progenitoris aerem adunet, & ab Avorum principe derivatum esse
„ declaret. Quare sacrificium *Kiao* Cælo, supremoque Imperatori non
„ solùm offertur, ut gratiæ pro beneficio originis rependantur, sed
„ præterea, ut supremus ille Imperator honoretur, atque adeò disper-
„ sa omnium hominum *CORDA* in unum colligantur, & ad unum re-
„ vocentur, omnesque edoceantur, rerum omnium parentem, seu ori-
„ ginem esse unum Cælum: In sacrificiis quoque, quæ progenitoribus
„ offeruntur, ad unum omnia ejusdem familiæ *CORDA* revocantur,
„ omnesque edocentur, unum Avum esse, à quo familia per multas ge-
„ nerationes propagata est.

449 Advertere imprimis liceat, in versione hujus textus Illustriss. Cononensem pro consuetudine sua semper oblationes majorum vertere per *sacrificia*, & aulas eorum honorarias per *templa*: quod tamen quàm alienum sit à sensu Sinico, & aliàs sæpius ostendimus, & hic ipse textus satis indicat, in quo expressè finis harum oblationum ponitur, qui est, *docere omnes ex familia, unum esse Avum, à quo tota familia per multas generationes propagata est &c.* Præterea in hoc textu vox Sinica *Ki* malè vertitur per aerem, significat enim potiùs spiritum vitalem, vel activitatem rebus à Cœlo, seu Cœli Domino inditam.

450 Cæterùm ex hoc textu manifestum est, per hoc dici, recolligi progenitorum spiritum, quatenus omnia ejusdem familiæ *CORDA* ad unum revocantur, & omnes nepotes, qui suos vitales spiritus ab avis habent, simul uniuntur. Non igitur juxta Sinarum doctrinam uniuntur vitales spiritus Avorum, qui evanuisse supponuntur, sed illi vitales spiritus, quos Nepotes à Progenitoribus accepere, seu ut Interpretes communiter loquuntur: *unire residuos progenitorum spiritus est unire CORDA NEPOTUM*, qui eatenus aliquid progenitorum

esse dicuntur, quatenus generationem ab illis accepere. Et hoc vel ex ipsis, quos Adversarii afferunt, textibus cuivis manifestum esse potest.

451 Deinde cùm dicitur, in eo, quod uniantur *CORDA* Nepotum, habere progenitorum Spiritus, in quo fulciantur; neutiquam de reali spirituum præsentia illud exponunt Sinenses; sed de intentionali, seu de memoria progenitorum, ad quam conservandam isti ritus fiunt, uti fusè ostenditur concordi testimonio plurimorum Sinensium in nostro ultimo memoriali n. 43. & passim Interpretes exponunt.

452 Et certè mirabile illud est, quod D. Rosaliensis intentum sit, probare, spiritus progenitorum venire ad tabellas; & tamen hi textus nec verbum de tabellis dicant: sed de *CORDIBUS* nepotum. Et si spiritus in unitis Nepotum cordibus habent, in quo confideant, & fulciantur, quomodo confidebunt in tabellis; si item ob illam, quam Illustriss. Rosaliensis doctrinæ Sinicæ affingit, sympathiam, quæ est in Nepotibus, attrahuntur spiritus defunctorum, certè non tabellis, quæ hanc sympathiam non habent, sed Nepotibus insidere deberent.

à n.159. ad 162. 453 Contendit hîc Author Observat. ex libro *Singli*, credi à Sinis, intercedere talem fictam symphathiam inter spiritus, & eos, qui offerunt spiritibus, vi cujus sympathiæ attrahātur spiritus ad oblationes.

454 Respondemus, præterquam quòd hi textus admodum vitiosè in multis exponantur, aliud illis non asseri, quàm quòd Sinenses aliquam relationem inter offerentem, & illum, cui offertur, observare soleant; & quòd, dum observata hac relatione offerens aliquo modo repræsentat eum, cui offert, & dum tali dispositione, ac animi applicatione fit oblatio, quasi si is, cui offertur, adesset, eum tota compositione animi sibi tanquam præsentem exhibendo; per hoc ipsum habetur id, quod dicitur, spiritum adesse, scilicet non reali, sed intentionali præsentia. Hoc nimirum est, quod textus his numeris citati asserunt, & nihil aliud.

455 Deinde hi textus asserunt quidem, solere à Sinis observari semper relationem aliquam intèr eum, cui offertur, & inter offerrentem: nihil autem de fictitia illa sympathia dicunt, & certè juxta omnes Philosophos aliud est relatio, aliud sympathia: ac proinde huc usque orant PP. Societatis Adversarios, ut ad probandam talem phantasticam sympathiam *vel unum locum proferant ex tota illa farragine Philosophiæ Sinicæ Sim lj dictæ, aut ex aliquo alio libro Sinico*, in quo ea clarè asseratur.

456 Relatio autem, quam Sinæ observant in his oblationibus, potiùs contra Auctorem Observ. pugnat. Ex illa enim evidenter evincitur, in honore, qui exhibetur progenitoribus, eos solùm respici ut Progenitores defunctos, & Cōfucium solùm honorari ut Magistrum; & evidens discrimen fieri à Sinensibus inter oblationes spirituum, & inter oblationes Confusii, ac Progenitorum. Id quod ex omnibus

ferè

ferè textibus, quos Author Observat. hîc refert, manifestè quivis cognoscere potest.

457 Ante omnia denuo hîc notandum est, qua fide Author Observat. plerumque Patrum Societatis scripta citare soleat. Itaque hîc citans P. Couplet, ait: *Qui Imperator, cùm sit ipse Cæli filius* (*VERBA SUNT P. COUPLET*) *magis utique participat de puriori illa, & defæcata virtute Cæli, & efficacitate, quare dum Cælo sacrificat, id agit scilicet, ut suus aër ille, seu influxus purior per sympathiam quandam connaturalem uniatur cum Cælo &c.* ad n. 163.

458 Respondemus: Ut liqueat, quàm sincerè referatur hic textus, opus est hoc loco illum integrum proponere, cùm mutilum proposuerit Author. Observat. Ita ergo P. Couplet loco citato in proœmio pag. 95. loquitur: *ECQUID ENIM OBSECRO FINGI POTEST INEPTIUS, quàm dicere; idcirco Sinarum Imperatorem solum Sacrificare supremo Imperatori, quia cùm sit ipse Tien cu, idest Cæli filius.... Magis utique participat de puriori illa, & defæcata virtute Cæli &c.* ubi liquet, hoc ipsum, quod P. Couplet ineptissimum esse dicit, referri ab Authore Observationum, tanquam sententiam ipsius P. Couplet re ipsa contineret.

559 Refert præterea Author Observat. textum ex Commentariis moderni Imperatoris, quo dicitur; cùm turbidus est reipublicæ status, offeri supremo Imperatori, & progenitoribus, ut illi, vel illorum spiritus per turbulenta tempora dispersi colligantur, & adunentur &c.

460 Respondemus, in toto hoc textu nec verbulum esse de ficta illa sympathia, quam Auctor Observat. hîc probare contendit. Quòd verò attinet ad id, quód dicatur, spiritus dissipatus coadunari, id satis clarè ipsa textus ultima verba indicant, quibus juxta versionem ipsius D. Adversarii dicitur: *Facta hoc modo supremo Imperatori oblatione, prisci reges populis significabant, se quoque superiorem habere, quem colerent, omnesque suo exemplo ad debitam erga superiores reverentiam exhibendam provocabant. Erectis verò in progenitorum honorem aulis* (quæ templa vocare Observatori placuit) *ostendebant, quanti facerent parentum dignitatem, omnesque ad parentes filiali pietate prosequendos informabant &c.* Eatenus ergo Sinæ dicunt colligi, mente scilicet & animo, ubique dispersum, seu sua immensitate implentem omnia, supremi Domini Spiritum, quatenus populus ad eundem recogitandum, & colendum inducitur. Eatenus vero dicuntur colligi spiritus progenitorum in Nepotibus, quatenus corda nepotum uniuntur, eoque modo fit, ut parentes in memoria filiorum perseverent, sicut jam antea dictum est; atque ipsa moralitas, quæ in his ritibus unicè à Sinensibus intenditur, hoc ipsum satis declarat.

461 Eodem, quo diximus, sensu, hi etiam textus à Sinensibus intelliguntur, quos Author Observat. his numeris ex libro *Sing li* refert; & certè si quis contrario illos sensu exponat, talem doctrinam, ut spuriam ab ipsis Sinensibus rejici, ostendimus in nostro postremo ad n. 164. ad 167.

memo-

memoriali nu. 46. Insuper quàm imperfectè exponantur hi textus ab Auctore Observationum, ex eo satis colligi potest, quòd ea, quam hic ponit, expositio, nullum planè sensum habeat.

462 Præterea adeò certum est, quòd P. Philippuccius asserit, hos scilicet esse loquendi modos apud Sinas, & eloquentiæ flores, ut ipsimet Sinæ modo suo loquendi hoc ipsum indicent, & Sinarum Imperator claris verbis idem testatus est; ut videri potest in primo nostro Sum. pag. 106.

463 Dum verò Author Observat. hæc verba, *Sacrificium, seu Ceremoniç Cy, & Cu Ritus omnino sunt hujusmodi*, ponit majoribus Characteribus, videre etiam debuisset antecedentia verba, quæ sunt scilicet: *per hoc INTELLIGITUR, quod per meum aerem progenitorum meorum aerem impello*: genuina versio dicit, *quod per meum spiritum moveo progenitorum spiritum*; ubi advertendum est, ipsum textum asserere, hæc non fieri realiter, sed per *intellectum*, nec re ipsa haberi, sed *intelligi*. Præterea verbum illud, *Sacrificium*, non est in textu, sed D. Rosaliensi placuit illud ex suo addere; nam textus solùm dicit: *Ritus Cj*, & *Cu &c.*

464 Denique in libro *Sim lj* tom. 28. fol. 11. ipse Doctor *Chu Hi* clarè dicit; Spiritus parentum, qui semel interiere, non amplius reuniri, sic enim ait; *Cùm parentantes sint istorum* (defunctorum) *nepotes, certè sunt unus cum iis, idemque spiritus* (seu habent eandem vitam à parentibus in se propagatam) *ideoque datur communis motus: sed id, quod dissipatum est, non denuo colligitur, aut reunitur.*

465 Item Doctor *Cay* in lib *Su Xu Mung yn* tom. 5. fol. 48. expresè ait: *Spiritus Avorum, ubi semel interiit, seu dissipatus est, non ampliùs reuniri potest.*

*ad n.*168. Spirituum præsentiam secundo argumento probare contendit Author Observat. ex aulis, quæ eriguntur defunctis, quasque ipse *templa* in latino vertit. Probat autem id primo, *quia*, ut ait, *Communis omnium populorum opinio est, spiritus iis in locis speciali ratione præsentes esse, quæ in eorum honorem dicata sunt.*

466 Respondemus, communem potiùs populorum opinionem esse, defunctorum animas in iis, quæ in eorum memoriam apud varias nationes eriguntur, monumentis realiter præsentes non esse, quin si qui fingant talem præsentiam, meritò in ipsum rationis lumen peccare censentur, nisi velimus, eatenus *speciali ratione* præsentes ibi dici spiritus, quatenus illorum memoria ibi recoli solet.

ad n 169. 467 Secundò probat Illustrisr. D. hanc de reali animarum præsentia sententiam, quia Aulę Progenitorum dicuntur esse domus, in quibus colliguntur Progenitorum Spiritus.

468 Respondemus: quo sensu Sinæ dicant, colligi progenitorum spiritus, illos quiescere, seu fulciri, jam sæpius exposuimus: & hinc aulæ progenitorum, quæ nunc appellantur *Cu Tang*, prius appellabantur *Su Taug*, idest *Aulæ rememoratoriç*, uti videri potest in l. *yeu Hio*

Pie

Pie Lan tom. 1. pag. 3. & pag. 4., vel etiam *ym Tang*, ideft Aulæ repræfentativæ, uti habetur in *Kia li Chim yam* lib. 1. pag. 6. Atque ipfa vox *Miao*, qua aulæ Progenitorum regiæ defignantur, fecundùm Interpretes Sinas, defumpta eft à voce *Mao*, quæ fignificat figuram, eò quòd in illis ædibus defunctorum figura, feu fpecies, vel repræfentatio exhibeatur, ut etiam dictum eft in primo noftro Summ. n. 7. litt. II. pag. 23.

469 Hîc refert imprimis Author Obfervat. ad calcem libri textum aliquem, quem ait fe defumpfiffe ex tractatu P. à S. Pafchali, in quo dicitur, *quòd per totum tempus, quo in China verfatus eft* (P. à S. Pafchali) *nullum unquam cognoverit, qui duabus litteris* CU TANG *Templum fignificari dubitaverit &c.* *ad n. 170.*

Refpondemus, id quod ibi afferitur, tam evidenter falfum effe, ut vel ex hoc uno colligere liceat, quàm modica adverfæ Parti cura fuerit de inquirenda veritate. Nam unà cum P. à S. Pafchali vixit multo tempore in eadem urbe P. Philippuccius, & multum invicem circa hos ritus inter fe egere, femperque prædictus P. Philippuccius ex omni doctrina Sinica defendit, illas aulas defunctorum nullatenus templa effe, ut ex omnibus fcriptis P. Philippuccii oftendi poteft. Vixere etiam cum P. à S. Pafchali R. P. à S. Petro, P. Intorcetta, P. Le Faure: hi omnes femper, fcriptis etiam libris, defenderunt, aulas illas non effe templa, ut ex eorùm libris impreffis patet.

470 Denique P. Jacobus Tarrin, cùm anno 1701. vices Superioris fuæ Miffionis gereret, in praxibus à P. à S. Pafchali potiffimùm compofitis, quas ipfe denuo inter fuos diftribuit, quarum nos copiam retulimus in noftro primo Summario n. 2. lit. AA. pag. 39. &c. hæc expreffis verbis de P. à S. Pafchali, & de iis, qui ex fua Religione prædictas praxes compofuere, teftatur: *Quod noftri fratres, qui fecerunt hoc fcriptum, indicant in hac diffufa declaratione refponfionis de Propaganda, eft:* QUOD POSSINT CHRISTIANI VENERARI SUAS TABELLAS IN CHU TANG. ibidem pag. 41. in principio.

Unde colligi poteft, quanta fides authoribus harum Obfervationum haberi debeat, qui aliquid tam evidenter falfum Sanctæ fedi proponere non dubitarunt.

471 Quod verò vox *Miao* fignificet aulam, & non templum, tum paulò fuperiùs jam dictum eft, & fatis apparet ex textu libri *liki*, defumpto ex libro *Chun Cieu*, quo *Miao* vocatur *domus defuncti*: *Chun Cieu* tom. 51. fol. 8., in quem locum Interpres *Hu* ait: *vocatur parentum defunctorum domus; quia illi olim in tali dormiebant, comedebant, & Confanguineos conveniebant; hinc poffumus eorum habitationem, rifum, verba nobis repræfentare, & fervire mortuis quafi vivis.*

472 Affert præterea Illuftriffimus Rofalienfis unam, & alteram definitionem hujus aulæ *Miao*, qua dicitur *Miao effe locum, in quo Spiritus habitant.*

Refpondemus, hoc effe contra ipfofmet Dominos Adverfarios. Nam Illu-

Illustrissimus Cononensis libelli sui pag. 138. expresè ait: *nemo enim dixit, illic semper residere* Spiritus progenitorum; & Illustrissimus Rosaliensis hîc contendit demonstrare, quòd tempore oblationum virtute aliqua sympathica dispersus Progenitorum aër à nepotibus attrahatur; non ergo ille priùs in aula sibi erecta habitabat.

473 Quod autem ad illa ex vocabulariis citata verba attinet, ipse author observationum hîc advertit, *alias ejusdem vocis significationes à diversis vocabulariis afferri*, adeoque hanc *non esse unicam*. Deinde vox *Xin* hoc loco non sumitur pro spiritu, sed pro ejus tabella, vel imagine, aut statua; & aliud hîc non dicitur, quàm quod *Miao* appelletur etiam ille locus, in quo variorum spirituum tabellæ, vel imagines asservantur. Olim, inquit Author *Kiu*, storeæ sterneb antur in parte occidentali, & *Xin*; ideft Tabella lignea, spectabat Orientem: & paulò post loquens de Confusio, antequam ut rex haberetur, ejus *Xin*, ideft tabella, spectabat Orientem. In lib. *Cung Miao ly yo Cao* tom. 1. fol. 53. Ex quibus loquendi modis satis apparet, hîc vocem *Xin* non accipi pro spiritu, sed pro tabella.

ad n.171. 474 Repetit hîc denuo Author. observat. ritum illum *Xang* dictum, quem cùm pagi incolæ ad abigendos maleficos spiritus observarent, Confusius dicitur nobiliori veste indutus, constitisse ad gradus aulæ parentalis, ne parentum spiritus turbarentur.

475 Respondemus, jàm sæpe ad hæc responsum esse à nostris Patribus. Imprimis locus iste, qui citatur, à Sinensibus pro apocrypho habetur, & passim ut quid histrionicum reiicitur. Deinde juxta DD. Adversarios Sinæ non credunt, animas suorum defunctorum semper esse in eorum aulis, sed solùm eas attrahi tempore oblationis; hoc ergò factum contra ipsosmet etiam pugnaret. Demum si huic fabulæ fides aliqua danda sit, factum istud Confusii aliud non indicat, quàm quòd Confusius aulam ad honorandos suos progenitores erectam à petulantis plebis injuriis præsentiâ suâ defendere voluerit.

ad n.172.ad 175. 476 Repetit hoc loco Author observat. ritum ducendi sortes ante avorũ tabellas, de quo tamen ritu cùm jã sufficienter dictum sit in notis ad priores observationes, censemus non opus hîc esse, plura dicere.

477 Deinde textus, quos Author observ. hîc n. 173. & 174. refert, nullatenus dicunt, quòd Progenitores interrogati fuerint per sortes, sed quòd ipsius *Xang ti* Supremi Domini voluntas per sortes explorata fuerit, ut manifestè patet ex ipsismet locis, quos Author observat. hîc citat.

478 Unum præterea notare liceat, quod Illustrissimus Rosaliensis bis repetit, scilicet n. 172. sub finem, ubi ait: *atque ea sortitio eò fit ritu, & apparatu, ut impossibile videatur, eos persuasum non habere, quòd à proavis, & parentibus audiantur*, & n. 174. denuo repetit: *porrò qui alicujus voluntatem sciscitatur . . . . non potest, quin ab eo, quem, ut ita dicam, sortibus interrogat, audiri, adeòque sibi præsentem esse non arbitretur.*

479 Re-

479 Respondemus, Illustrissimum Dominum videri satis constantem sibi esse in suis contradictionibus; nam prioribus immediatè numeris dicebat, se demonstrasse ex libris Sinicis, quòd Sinarum doctrina sit, animas defunctorum non esse, nisi dissipatum aërem, qui virtute symphatica nepotum simul collectorum tempore oblationum reuniatur, & attrahatur. Nunc tamen easdem progenitornm animas etiam extra oblationum tempora juxta doctrinam Sinarum, non solùm contendit esse præsentes, quin imò *VOLUNTATEM* illis attribuit, & sensum, quo & audiant, ac sciant ea, quæ interrogantur, & respondere possint. Quæ quantum inter se opposita sint, nemo non videt.

480 His numeris Author observationum occasionem quærit, ut in Patrem le Faure, de Sortibus Sinarum loquentem, invehatur. *à n. 176. ad 183.*

Respondemus tria esse, quæ P. le Faure asserit. Primum, sortes, quæ, præcisè fiunt ad indagandam supremi Numinis voluntatem, non semper, & ex se malas esse. Secundum: hoc quod dicitur de sortibus, jam à Sinensibus non observari. Tertium fuisse aliud quoddam sortium genus ad puram cœremoniam usurpatum à filiis coram parentum defunctorum nomine, eum scilicet in finem, ut illam consuetudinem imitarentur, qua filii, antequam quid aggrediantur, parentes vivos interrogare solent, adeòque ut tali ritu suos parentes mortuos colerent, quasi viverent. Contra hæc Author observationum multa dicit, sed nihil probat; quia ea verba, quæ n. 183; refert, scilicet, quòd sortes adhibitæ fuerint *yu Xeu Ming*, quasi si parentum mandatum exciperent, clarè indicant, Sinas non re vera credere, quod per sortes parentum mandatum accipiant, sed solùm id facere ex cæremonia aliqua, *quasi si parentum mandatum exciperent*. Præterea totum argumentum Illustrissimi Domini est, quòd talis ritus apud nullam aliam gentem, quantum ipse putat, inveniatur: sed quid tum? ex eo ne sequitur, quòd nec apud Sinas esse possit?

481 Præterea quod Author observat. n. 182. *asserit, Sinas scilicet nullo signo declarare; Spiritus Cæli, vel Terræ, non verò progenitores sortibus præesse*, omnino falsum est, quin contrarium ex iis ipsis locis, quos n. 173. adduxit, manifestè patet. Cæterùm, ut jam advertimus, hæc quæstio de sortibus ad præsentem controversiam non spectat, cùm hic ritus jam non observetur.

482 Hîc etiam Author observationum repetit illum ritum *Cao* dictum, quo quandoque Sinæ mortuos quasi vivos alloquebantur. *ad n. 184., & 185.*

Respondemus: hunc pariter ritum à nobis in superioribus expositum jam fuisse; nec solum defunctos, sed etiam eorum sepulchra alloqui solent Sinæ, & ipse Illustrissimus Cononensis in suo libello identidem fatetur, præcipuè pag. 106. admodum usitatum id Sinis esse, ut res inanimatas, tanquam animatas tractent. Demum si intentum suum hîc evincit Illustrissimus Dominus de Lyonne, hoc ipso se ipsum refutat, & probat, non credi à Sinensibus animas defunctorum merum

esse dissipatum aërem, qui virtute aliqua symphatica attrahi, & colligi possit.

483 Hîc quoque repetitur alius ritus, qui fit per effusionem Vini in terram, & appellatur *Kiang Xin*.

ad nu. 187. Respondemus, de hoc pariter ritu nos superiùs jam egisse; præterea nec hic ritus universalis, vel inviolabiliter observandus est, ut ibidem diximus. Id etiam notare liceat, cum modica eruditione in libris Sinicis asseri ab Authore Observ. ritum *Kiang Xin* dici præcipuum in libro *ly ki*, & ejus mimininisse Confusium in *Lun yu &c.* cùm certum sit, hanc appellationem *Kiang Xin* omnino recentiorem esse, nec inveniri in antiquis libris; antiquitus enim ritus, qui fiebat per effusionem odoriferi vini in terram, non *Kiang Xin*, sed *Quon* in libris appellatur.

484 Denuo Illustrissimus Dominus Rosaliensis occasionem sumit, ut in

*ad n.*147. & 188. Patrem le Faure invehatur; præterea addit, *nullum Sinico in textu vel in ullo Interprete metaphoræ vestigium reperiri, omnes enim de eo ritu (Kiang Xin) tanquam seriò; & graviter agi solito loqui, neque ullum verbum esse, quòd metaphoram redoleat.*

485 Respondemus, hæc nobis satis mira videri, & ut cum aliis DD. Adversariorum dictis combinentur, admodum difficilia. Illustrissimus Cononensis sui libelli pag. 24. pag. 28. pag. 29., & variis aliis locis, totus in eo est, ut ostendat; allocutiones illas, quæ ad spiritus fiunt, non esse nisi metaphoricas, & pag. 106. circa finem ait: *alia per meram, & simplicem metaphoram usurpantur; prout non uno loco jam observavi, QUOD A RR. PATRIBUS IGNORARI INTOLERANDUM ESSET. Mos quippe Sinarum est, sic erga res inanimatas, cum aliqua excellenti virtute pollent, tanquam revera cognitione prædita essent, agere &c.* & deinde addit: *meminerint RR. PP. Clavicordii, quod Eunuchi regii pro consueto Sinarum more eodem planè modo, ac Reverendos Patres salutarunt, tanquam res animata fuisset.* Nunc verò Illustrissimus Rosaliensis, ut traducat Patrem le Faure, & ironicè dicere possit, ejus scripta esse *Monitum ad sceupulos excutiendos*, aliaque similia, de metaphoris inter Sinas usitatis nihil penitus scire vult. Si tamen legisset Doctorem *Cay* in suo Commentario *Su Xu Mung yn* tom. 5. fol. 48., & varios alios, certè non dixisset, in nullo Interprete, ubi agitur de adventu spirituum, metaphoræ vestigium reperiri. Præterea liberaliter addit de hoc ritu *Kiang Xin*, omnes interpretes tanquam de serio, & graviter agi solito loqui. Necesse fanè est credere, quòd Interpretes ipse fortè non viderit, vel non satis intellexerit. Hi enim dicunt, hæc verba *Kiang Xin* non inveniri inter antiquos libros; ritum item effundendi vinum in terram non semper usitatum fuisse, & aliqui ex iis dubitant; an ille ritus sit omnino conformis antiquæ, & genuinæ Sinarum doctrinæ; demum hunc ritum aliud non significare, quam specialem reverentiam erga talem hominem, qui hoc ritu honoratur, pluribus superiùs jam ostendimus.

486 Ad-

486 Addit prætærea Illuſtriſſimus Roſalienſis, rationem à P. le Faure adductam eſſe *falſiſſimam*, & *ridiculam*.

487 Reſpondemus: Ratio, quam P. le Faure loco citato adducit, duplex eſt, una, quòd Sinæ non credant, alios etiam Spiritus loco moveri, dum illis offertur. Et hoc præcipuè in ſententia Illuſtriſſimi Roſalienſis non falſiſſimum, ſed certiſſimum eſſe debet; ſi enim (ut Illuſtriſſimus Roſalienſis ſuperiùs aſſerebat) Sinæ credunt, Spiritus montium, & fluminum non eſſe aliud, quàm virtutem materialem, ab ipſis montibus, & fluminibus revera indiſtinctam, certè hi ſpiritus advenire non poſſunt. Sed cùm de his ſuperiùs jam actum ſit, ea non repetimus. Inſuper juxta genuinam litteratorum doctrinam ſpiritus montium fana non habent, & quod Author obſervationum hîc refert de ſpiritu montis, ubi ſepultura eſt, quòd illi domuncula aliqua fiat, non ex Litteratorum Schola; ſed ex Idololatrarum Secta deſumptum eſt, ut ita pateat, omnia commiſceri ab Authore obſervationum, dummodo occaſionem cavillandi Jeſuitas habere poſſit. Appellat ille hîc hunc ſpiritum Angelum; at verò oſtendat quæſo, ubi unquam PP. Societatis aſſeruerint, Spiritus Sectæ idololatricę in China eſſe Angelos.

488 Altera ratio P. le Faure eſt, quòd hæc omnia unicè ad oſtendendum animi affectum fiant à Sinis, ſicut etiam ab Europæis in orationibus funebribus ſimiles invitationes defunctorum uſurpantur. Et hoc denuo nec *falſum*, *nec ridiculum* eſt, ſed adeò conteſtatum in libris Sinicis, ut vix inveniatur Interpres, qui id non dicat: ipſe etiam Imperator in ſuo decreto palàm id aſſerit, & tales allocutiones erga defunctos, ſolùm ad internum animi affectum declarandum, adeò connaturales ſunt, ut ab omnibus ferè gentibus uſurpentur.

489 Demum & illud advertere liceat, Illuſtriſ. Dominum de Lyonne paulò ante demonſtraſſe, ad hoc, ut juxta doctrinam Sinarum diſſipatus defuncti aër colligi, & attrahi poſſit, debere intervenire virtutem aliquam ſympathicam inter ſpiritum, & ipſum offerentem; nunc autem hanc virtutem attractivam juxta doctrinam Sinicam vino odorifero attribuit, & quidem tunc ſolùm, cùm in terram effunditur: quæ quàm parùm cohæreant, nemo non videt.

490 Refert hoc loco Author obſervationum clariſſimum, (ut ipſe ait) in hanc rem libri Canonici *Liki* textum, & expoſitionem Epiſcopi Baſilitani, ubi dicitur, ſpiritus vel venire, vel evocari &c. *ad n.189.*

Reſpondemus, non minus clarè ex his ipſis libris explicari, quo ſenſu hoc affirment, ut hactenus pluribus oſtendimus. Nec etiam minus clarè Illuſtriſſimus Epiſcopus Baſilitanus docuit, quòd ſecundùm genuinam Sinarum doctrinam animę defunctorum non veniant, nec ſint in tabellis, ut ex ejus tractatu patet.

491 Demum citat Author obſervat. textum aliquem, quem ſe ait deſumpſiſſe ex P. Auguſtino à Sancto Paſchali, & à quo ait ſolui difficultatem, quam Jeſuitæ injicere poſſent. Textus autem eſt, quòd *ad n.192.*

 ſpiri-

ſpiritus juxta Sinas non ſint aliud, quàm duæ qualitates *yn yang*, & quòd hæ qualitates veniant ad oblationes &c.

492 Reſpondemus in primis, citari quidem Authores Sinicos in confuſo; nos tamen hanc in illis doctrinam neutiquam invenire adhuc potuiſſe, adeòque multa hîc quidem aſſeri, ſed non probari. Præterea, an per iſta difficultates illæ ſolvantur, quas opponunt Jeſuitæ, penes alios Judicium erit; difficultates autem ſunt; Quomodo, ſuppoſito, quòd Sinæ reverà haberent hanc ſententiam, iidem tamen ſimul dicantur ſeriò alloqui ſpiritus, invitare, & ſe credere quòd ab illis exaudiantur? Quomodo item Interpretes dicant, ſpiritus progenitorum ſemel diſſipatos non ampliùs poſſe uniri, & hos ritus ſolum fieri ad internum animi affectum declarandum? Ac demum quomodo Imperator in ſuo decreto expreſsè aſſerat; quòd Sinæ non putent *ANIMAS* ſuorum progenitorum eſſe in tabellis &c.

Hæ, & ſimiles difficultates, quomodo per allatum ex P. à S. Paſchali textum ſolvantur, planè nec dum videmus.

493 His numeris Author obſervationum denuo de tabella illa agit, quæ ad memoriam defunctorum conſervandam ponitur, inſcripto defuncti nomine: cognomine, tempore vitæ, die mortis, officio, & dignitate, quam habuit &c. *Tabella defunctorum* (ait ille) *ſpiritibus erecta, ipſorum præſentiam clarè demonſtrat*. Idque primò probat, quia dicit, inſcribi tabellæ *SEDES ſpiritus talis hominis*. Secundò quia dictionaria Sinica dicunt, poni has tabellas in aulis, ut *defuncti ſpiritus ibi confideat*. 3., & 4. quia in libro *liki* ſtatim poſt ſepulturam præſcribitur oblatio *yu*, *qua ſpiritus invitatur, ut in tabella confideat*, & orator ibi ait: *nobilem animam invitamus, ut relicta antiqua habitatione* (eo ſcilicet Serico, quod in capſula reconditum non ampliùs exhibetur) *in novam veniat, & in ea inſideat, & quieſcat*.

Quintò, quia quãdo poſt certum aſcendentium numerum avo antiquiori è Templo diſcendendum eſt, dolorem ſuum teſtantur, eique vini, ac fructuum oblatione vale dicunt.

494 Reſpondemus. Tum de Tabella, tum de ejus inſcriptione toties jam variis in locis, ac etiam ſuperiùs obſerv. 2. hujus capitis dictum eſſe. Quòd illa inſcriptio *Xin Guej* non ſignificet apud Sinas præſentiam ſpiritus, ſed ut ipſimet Sinæ explicant, repræſentationem defuncti, tum ex ſimilibus inſcriptionibus, quæ etiam vivis paſſim poni ſolent à Sinis, tum ex vocabulariis Sinicis; tum ex teſtimoniis ipſorummet Sinarum in utroque noſtro Summario, & variis aliis in locis fusè oſtenſum eſt.

495 Quod verò attinet ad illam explicationem tabellarum ex vocabulariis aliquibus Sinicis petitam, quæ dicunt erigi tabellas in defunctorum aulis (*y chj ling*) *ut defuncti ſpiritus ibi confideat*: imprimis illa vocabularia pro hac explicatione nullum librum Claſſicum citant, ut aliàs ſolent facere, neque hæc explicatio in libris Claſſicis reperitur. Deinde quis hujus dicti ſit ſenſus, clarè exponit Doctor *Kiu* in

libro

libro *Kung Miao ly yo cao* tom. 1. fol. 57. sic loquens: erigi tabellam *y chi Xin yu fin* hoc est, ut *detur spiritui aliqua in CORDE*. seu *AFFECTU (PARENTANTIS) subsistentia*; unde patet, istas tabellas non erigi ad sustentandum ipsum defunctum, sed solùm ad sustentandam defuncti memoriam; seu ad conservandum defunctum in corde & memoria nepotum, prout etiam communi testimonio Sinensium ostendimus in ultimo nostro memoriali n. 43., & 45., & in primo nostro memoriali n. 52. & 53. &c.

496 Addit deinde Author observationum: *huic trium vocabulariorum explicationi doctissimum Xensi Vicarium Apostolicum Reverendissimum Patrem Basilium à Glemona tanquam evidenti subscripsisse*.

Respondemus, quæ ad R. P. à Glemona attinent, ea superiùs jam dicta esse. Quòd si illi inter prætensas illas subscriptiones etiam propositio de asserta à Sinis spirituum in tabellis præsentia evidens visa fuit, procul dubio necesse erit credere, *evidentias* illas fuisse tales, quas nec ipsi Sinæ in propria sua doctrina agnoscunt.

497 In oblatione verò illa *yu* dicta, non spiritus defuncti, sed puellus ille, qui defunctum repræsentabat, invitabatur. Ita enim liber *lyki* eodem loco, quem citat Author. observat. cap. 4. ait: sepulto cada-
„ vere, dum parentans obtulit munera ad sepulturam, statim cæremo-
„ niarum præfectus *Cho* domum redit; reverenter introducitur spiriti-
„ tus personatus, seu puer defunctum repræsentans, & ei fit oblatio *yu*.
„ Deinde Interpres *Chin Hao* ait: sepulturâ peractâ domum reditur, &
„ excipitur Spiritus (nempe personatus, seu puer ille) & meridiè in au-
„ la, in qua jacuerat feretrum, fit ei oblatio ad eum tranquillandum. Si
„ defunctus sit masculus, masculus agit personatum spiritum, si sit fœmina, fœmina agit &c.

498 Præterea paulò ante ostendimus ex Illustrissimo Domino Maygrot libelli sui pag. 138. quòd *nemo dixit illic* (in tabella) *semper residere spiritum*; & Illustrissimus Dominus de Lyonne priùs ostendere volebat, quòd symphatia aliqua nepotum opus sit, ut atrhatur, & colligatur defuncti spiritus. Nunc tamen allata ab eo argumenta, si vera essent, potiùs probarent, credi à Sinensibus, Spiritum semper residere in tabellis etiam tunc, quando symphatica illa nepotum virtus non adest. Insuper si spiritus in doctrina Sinarum non sint aliud, quàm duæ qualitates *yn*, & *yang*, quæ attrahuntur per effusionem vini odoriferi, ut immediatè antè n. 190. Author observat. dixerat x P. à S. Paschali, quomodo intelligenda erit hæc invitatio spiritus, quam Illustrissimus Dominus n. 194. refert, & seriò dictam esse contendit?

499 Cæterùm quis sit verus sensus similium invitationum, & quòd solùm fiant ad internum animi affectum demonstrandum, toties alias jam ostendimus. *Nam* (ut Doctor *Hia Xin* explicans hunc ritum *yu*
„ ait) sepultura peracta, quia obediens filius non habet amplius, in
„ *QUO ANIMUM SUUM FIGAT*; nec *QUO EJUS ANI-*
„ *MUS NITATUR, SEU FULCIATUR*, ideo ad faciendam obla-

 „ tio-

„ nem *yu* ipſo ſepulturæ peractæ die tabellam erigit, ut ſua ei obſequia
„ exhibeat.

500 Demum ſi Sinæ re vera crederent, defunctorum Spiritus reſidere in tabellis, nunquid omninò barbarum ipſis, & impium apparere deberet, antiquiorem avum poſt certos aſcendentium gradus ex hac ſua Sede deturbare, ac ex parata ſibi aula, quam tanto tempore incoluerat, ejicere.

501 His numeris Author obſerv. denuo occaſionē ſumit contra Jeſuitas declamandi, atque eos tanquam Sinicæ doctrinæ ignaros, & qui Europæis illudere velint, traducendi; & hoc ideo, quia dicunt, tabellam, quæ nunc adhibetur, loco hominis *Xi* dicti, qui defunctum repræſentabat, ſuffectam eſſe. Ait enim, luce meridiana clariùs patere, eo ipſo tempore, quo ſubſtitutus ille vivus adhibebatur, etiam tunc tabellam illam jam adhibitam fuiſſe.

502 Reſpondemus: Quam denuo evidentiam ex hoc antecedenti deducat Author obſervat., nobis planè non apparere; nam ex hoc, quòd tabella aliquando ſimul cum perſonato ſpiritu fuerit adhibita, planè non ſequitur, quòd ſubmoto illo perſonato Spiritu in hujus quoque locum deinde ſubſtitui non potuerit, etiam iis in ritibus, in quibus aliàs adhibebatur perſonatus Spiritus *Xi* dictus; quin eam pro hoc etiam ſubſtitutam fuiſſe paſſim Interpretes Sinæ affirmant; nec quæ in iſto ſit repugnantia, ullo modo videmus, Cæterùm quæ Author obſervat. deinde rurſum coacervat de variis ritibus, cùm ea jam toties repetierit, & nos hæc fuſiùs in notis ad ſecundam obſervationem expoſuerimus, hîc in iis refutandis longiores non ſumus.

503 Aſſerit primò Author obſerv.; quòd ille nepos indutus defuncti veſtibus,& defunctum repræſentans, qui *Xi* dicebatur, & adhibebatur aliquando à Sinenſibus, *defunctos, non ſecus ac veteres Deos ſtatuæ, repræſentabat*. Hoc tamen aſſertum ulteriùs non probat.

504 Reſpondemus, videri contrarium planè aſſertum fuiſſe à D. Charmot in hiſt. Cult. Sinen. pag. 296., ibi enim ait. *Nunquam diximus, Confuſium à Sinis Litteratis ut Deum; majoreſque ut numina coli*. Si ergo certum eſt, majores à Sinis non haberi pro diis, qua veritate, vel dictorum cohærentia nunc Author obſerv. aſſerit, defunctos per hominem illum *Xi* dictum non ſecùs ac veteres Deos per ſtatuas repræſentatos fuiſſe?

505 Affert deinde Author obſervationum varios textus Sinicos,quibus aſſeri videtur, adhibitum fuiſſe hunc perſonatum hominem; ut in illo ſpiritus defuncti reſideret.Sed ut nihil dicamus de mala admodum textuum horum Sinicorum verſione; ſub quo ſenſu dicere ſoleant Sinenſes, & à nepotibus, & ab aula funebri, & à perſonato illo homine &c. fulciri defunctorum ſpiritus, paulò antè expoſuimus, nec hi textus diverſum à relatis paulò ſuperiùs ſenſum habent; & ſi ita materialiter intelligendi eſſent, prout Author obſervat. contendit,idem re ipſa ſpiritus, & ſimul in tabella, & in hoc perſonato homine, &

in

in aliis nepotibus juxta doctrinam Sinicam, residere deberet.

506 Quamvis autem ampliùs consuetudo non sit, ut hic personatus homo, *Xi* dictus, à Sinis adhibeatur, adeoque hic ritus ad rem jam prorsus nihil faciat, nec de illo modernis Sinensibus permittendo agatur, ut tamen constet, quem in finem aliquando adhibitus fuerit; de eo in Libro *Ly Ki* tom. 1. cap. *Kio Ly* Interpres *Chin Hao* hæc habet *Xi Xin Siang ye*, idest *Xi* est imago defuncti, & tom. 2. cap. *Van Cung Hia* idem ait: *Corporea defuncti figura non apparet (ideoque) CORDIS AFFECTUS, unde suspendatur, vel ubi alligetur, non datur: propterea constituitur Xi, & defuncti vestes induere jubetur, ut pii filii affectus in illum respiciat, & tendat, seu quiescat*. Similia his passim apud interpretes Sinicos occurrunt, & plura, si opus sit, referri poterunt, ac fusè exponit P. Philipuccius in suo tractatu citato in primo nostro Summ. n. 6. lit. PP. lib. 1. in explicatione litteræ *Xi*.

507 Demum Author observationum aliam Cæremoniam refert, qua ait, animabus Orphanis, seu eorum, qui sine Nepotibus decessere, certa à Sinis sacrificia offerri, ut habeant quo se recipiant, neque alios homines divexent; moneri item idolum *Ching Hoang*, ut his animabus Orphanis Imperatoris mandatum significet, & ad Altare convocet, ut sacrificio fruantur &c.

508 Respondemus. Si Author observationum hæc omnia ex Litteratorum doctrina seriò agi asserat, certè juxta eandem Litteratorum doctrinam animæ, quæ monentur, aliud quàm dissipatus solùm aer esset deberent. Interim iste ritus à Litteratis nullatenus pro legitimo agnoscitur. Liber *Ven Hien Tung Cao* tom. 86. eum expressè reiicit, & Interpres *Chin Hao* citato capite *cy fa* non magnam fidem adhibendam esse ait *Li Ki* c. 5. & 23.

509 Hoc autem loco quæstio non est de variis superstitionibus, quas Sectæ Idololatricæ nonnunquam malè immiscent, sed de iis solùm, quæ in decreto Alexandri VII. exposita juxta genuinam Sinici Imperii doctrinam inviolabiliter observanda sunt. Si quæ verò ab Idololatris superstitiosa misceantur, ea utique excludenda esse summus Pontifex Alexander VII. in suo decreto jam statuit.

510 Atque ex istis, quæ hactenus dicta sunt, colligere licebit, quibusnam potior fides adhibenda sit, an uni vel alteri solùm Europæo, ex variis conjecturis hinc inde quæsitis assumptum sibi semel thema probare conantibus in Europa, quamvis ipsimet contrarium opere ipso frequenter fecerint in China; an verò toti Imperio Sinico unà cum suo Imperatore, de propriis ritibus æquè, ac doctrina contrarium omnino, verbis minimè dubiis palàm attestanti, quibus insuper accedunt uniformia testimonia ipsorum Illustriss. Chinæ Præsulum, & complurium Vicariorum Apostolicorum, ac incomparabiliter major numerus Missionariorum ex omnibus Religionibus, quæ sunt in China, ut in utroque nostro Summ. fusius ostensum est.

NO-

NOTÆ

In Caput Tertium, & Observationem Unicam de Confusii cultu.

ad n. 210. & 211. 511 DEnuo Author observationum vult carpere versionem PP. Pekinensium, ita tamen, ut quod illi bene exposuerunt, ille imperfectiùs vertat, omittendo ultima textus verba, in quibus vox illa *Pay* secundò repetitur &c.

ad n. 212. Ex qinque capitibus Christianæ religioni repugnare cultum Confucii dicit Author observat. Priora tria puncta sunt; primò quia hic cultus fit coram tabella, quæ indicat spiritus præsentiam. Secundò quia fit in templo. Tertiò quia bis in anno fiunt Confusio ritus solemnes, quos dicit esse turpes, & superstitionibus refertos. Hæc tamen tria puncta uberiùs hîc non probat Illustriss. D., sed ad superiùs jam dicta remittit. Speramus autem, abundè à nobis pariter superiùs ostensum jam fuisse, quàm falsò hæc asserantur. Magnus profectò oportet, ut sit Confucii spiritus, qui in millenis etiam litterariis aulis, quæ in China sunt, simul præsens credi possit, hoc certè delirium Sinæ à se, & à sua doctrina maximè abesse volunt.

512 Prudenter etiam facit Author observationum, ut (sicut dicit) „ missas faciat orationes innumeras, quibus (Sinenses) ad exemplum „ Imperatoris *Kia cing*, cujus factum in regio Rituali refertur, Confucii „ in studiorum decursu opem petunt. Nam has orationes innumeras, si „ quæsivisset in libris Sinicis, plane non invenisset.

513 Quod attinet ad exemplum Imperatoris *Kia cing*, formula illa, quæ loco citato refertur, potiùs elegans aliqua compositio est, ut ex ipsis verbis ibi manifestè patet, & contra communem aliàs Stylum, ac ipsam doctrinam Sinicam ille modus loquendi in illo particulari casu adhibitus fuit. Interim ex una rhetorica alicujus compositione, pro casu aliquo particulari facta, de inviolabili totius regni, ac constanti doctrina malè arguitur, maximè ubi, & Libri, & Litterati uno ore contrarium protestantur cum ipso Imperatore suo, nec particulare illud factum approbant.

ad n. 213. & 214. 514 Quartum caput, ob quod Auctor observ. cultum Confusii improbat, est, quia (ut ipse ait) à Sinis Confusius Sanctus appellatur, & cùm aliàs frequenter in Jesuitas liberè invehi sibi licitum judicaverit, hic adeò sibi temperare non potuit, quin ipsum etiam Sanctum Societatis Fundatorem aggrederetur, dum n. 23. ait: Si omnia quæ in „ Confusii laudem dicta sunt, in unum colligere in animo esset, facilè, „ ut opinor, vel ex solis ipsorum (Patrum Societatis) testimoniis „ Confusius sanctitate Fundatorem Societatis Beatum Ignatium aut „ æquiparasse, aut superasse crederetur. Sed qua ratione hæc probat? Primò ostendere ista conatur ea textu P. Riccii, qui ait; Confusium ex sua vivendi ratione consecutum esse apud Sinas, ut mortales

„ om-

„ omnes, quotquot ubique terrarum virtute præſtiterunt, vitæ ſancti-
„ monia exceſſiſſe credatur.

515 Reſpondemus, in hoc textu P. Riccii imprimis advertendum eſſe, quando apud Sinas dicitur ubique terrarum, intelligi communiter totum Imperium Sinicum, & nihil aliud. Advertendum ſecundò, hîc agi de ea Sanctimonia, qualem Sinenſes agnoſcunt, ſcilicet de ſingulari aliqua ſapientia, & excellentia in virtutibus moralibus, non autem de vera, & ſupernaturali ſanctitate. Et quidem nullam ſupernaturalem ſanctitatem aut dignitatem humanâ majorem à Sinenſibus Confuſio attribui, ipſe Illuſtriſs. Cononenſis libelli ſui pag. 144. circa medium expreſsè fatetur, dum, quamvis falsò, PP. Societatis accuſat, quaſi verò ipſi Confuſio dignitatem humana majorem attribuiſ-
„ ſent, ita contra eos ſcribens. Imò hæc de Confuſio Patres Societatis
„ ſomniarunt, cùm illum Sanctum, Sanctimonia cæteris præcellentem,
„ nec tantummodò Philoſophum prædicarunt.

516 Secundò. Probat Author obſervationum, quòd Confuſio dignitas humanâ major tribuatur, ex alio malè citato textu P. Couplet, qui
„ ait, quòd Confuſius ſolidam veritatem, & quę cum hac conjuncta ſit,
„ ſupremam quandam Sanctitatem, quam licet Interpretes gentiles *ad n.215.*
„ (aliquibus exceptis) homini attribuant, adeò tamen ſublimem fa-
„ ciat, ut re vera nonniſi ſupremæ veritati, ac ſanctitati tribui poſſe
„ videatur.

517 Reſpondemus, ex hoc textu potiùs contra Authorem obſerv. concludi; nam ſi Interpretes gentiles illam Sanctimoniam homini attribuant, non ultra humanam dignitatem in ſua perſuaſione eum attollunt, quem ita Sanctum eſſe dicunt. Deinde Pater Couplet in eo loco de illa ſpeciali ſanctitate, ſeu perfectione loquitur, quæ ibi à Confuſio deſcribitur, ex quo non ſequitur, quòd omnia, quæcumque ibi aſſeruntur, omnibus illis, qui *Xing* à Sinenſibus appellantur, conveniant, cùm hæc vox variam omnino, & amplam ſignificationem habeat, nec reverà aliud apud Sinas indicet, quàm eximiam aliquam excellentiam: ita Imperator, & res omnes ad Imperatorem ſpectantes paſſim *Xing* appellantur, ut ſæpius aliàs in variis ſcriptis à PP. Societatis oſtenſum fuit.

518 At contra opponit Illuſtriſs. Roſalienſis uſum ipſorum met Jeſuitarum, qui Sanctos in Cælo non alio nomine niſi *Xing* appellant. *ad n.516.*

Reſpondemus, id quod in omnibus linguis uſu venit, etiam in lingua Sinica faciendum erat primis Miſſionariis, ut ubi propriȩ voces ad fidei myſteria deſignanda deerant, tales eligerent, quæ ob remotam aliquam aptitudinem, & generalem, quam habebant, ſignificationem, magis accomodatæ erant, ut tali quoque novo myſterio ſignificando applicarentur. Ex eo tamen, quòd vox aliqua ad novum myſterium ſignificandum recens applicata fuerit, non niſi in lingua tali admodùm rudes ſibi perſuadere ſolent, quòd vel ea vox priorem ſuam ſignificationem amiſerit, vel nullam aliam habeat, aut habuerit.

519 De-

519 Denique ait Author observ. illicitum esse Christianis in China agnoscere Confusium, etiam ut Magistrum, cùm ejus doctrina sit impia, & Idololatrica.

ad n.217
ad 221.

Respondemus. Quænam doctrina Confusii sit, utique meliùs cognosci non poterit, nisi ex attestatione unanimi eorum ipsorum, qui à puero in Schola Confusiana educati fuerunt, & litterariis gradibus ex eadem insigniti. Nam sicut Illustriss. de Lyonne n.219. Jesuitis obiicit; ita multò potiori ratione de iis, qui, ut ipse fatetur, nonnisi à viginti annis in Sinas venere, dici potest. Eos meliùs Sinensibus ipsis Litteratis Confusianam doctrinam intellexisse, mirificè absurdum dictu est. Quid autem ipsi Litterati Sinenses unanimiter de Confusii doctrina testentur, videri potest in ultimo Summario, quod nuper obtulimus, locis cit. in memoriali ibi n. 54. Præterea longè aliter de doctrina Confusii sensere omnium ordinum Missionarii in China; nam ut nihil dicam de Patribus Societatis, eximiè laudat, & approbat doctrinam Confusii R.P. Fr.Joannes Baptista de Morales Ordinis S.Dominici in suo tractatu de obsequio filiali. R.P.Fr.Antonius à S.Maria ex Ordine S. Francisci in suo libro *Tien yu yn* & alii plures, quorum librorum exemplaria hîc habemus.

520 Deinde Confusii doctrina non est Confusii, ut Confusius ipse toties monet, & Sinenses omnes fatentur, sed primorum Sinicæ gentis fundatorum *Fo Hi*, *Xin Nung*, *Hoang Ti*, *yao*, *Xun*, *Tu*, *Tang*, *Ven vang*, quorum primi temporibus diluvii omnino proximi erant: hos ergo omnes Atheos fuisse oportet, adeòque à primis Imperii Sinici annis, quamvis diluvio proximis, nullam unquam veri Dei notitiam inter Sinas fuisse: quod an sit Catholicè, & juxta SS. Patrum doctrinam sentire, S.Sedes judicabit.

521 Quod verò ad textum ex P.à S.Paschali citatum attinet, ex iis, quæ superiori capite de Progenitoribus dicta sunt, satis responsum esse videtur.

ad n.222. 522 Venit demum Author observationum ad cultus solemnes Confusii, & primò incusat Jesuitas, quasi mentionem horum rituum fugerent, tametsi eos turpissimos, & Idololatrica superstitione refertos existere se alibi probasse dicat.

523 Respondemus. Adeò non fugiunt Iesuitæ mentionem horum rituum; ut eos in variis suis tractatibus satis minutè descripserint. Et denuo in ultimo nostro Summ.à n.7.lit.F.usque ad finem illius numeri eorumdem solemnium rituum descriptionem, à 41. Litteratis Sinensibus approbatam dedimus. Atque ex toto hoc nostro responso satis apparet, plura ex illis, quæ ut turpiorem horum rituum solemnium speciem ingererent, congesta sunt ab adversariis, non esse, nisi figmenta. Quæ verò etiam de his ritibus Missionariorum Societatis fuerit sententia, & praxis, satis clarè eorundem nomine expositum jam fuit in expositione facti, S.Congregationi prioribus annis oblata.

524 Interim mirum est, quòd Illustriss.Rosaliensis scribat; de non per-

missis

missis his sollennioribus oblationibus *rē aliter se habere, certissimis argumentis, ubi opus fuerit, se demonstraturum*. Certè hanc evidentiam recenter in Europa acquiesierit, opertet; nam quòd eam in China non habuerit, propriæ ejus litteræ testantur, quas scripsit ad Reverendiss. D. Carolum Turcotti, & P. Joannem Laureati paulò ante suum in Europam discessum, & eas originales hîc habemus. Ita ergo ibi scribit.

Admodum Reverendi Patres.

525 Cùm circa Societatis praxim in iis, quæ ad Confusium pertinent, diversa à diversis audierim, rogo RR. VV., ut per claram responsionem me certiorem facere dignentur. 1. num illi Christiani Bacchalaurei, qui duabus illis oblationibus, quæ singulis annis fiunt in honorem Confusii, volunt assistere, à PP. Societatis arceantur à Sacramentis? 2. Num etiam secundùm Societatis praxim iis Præfectis, quibus per officium incumbit, esse dictarum oblationū Ministros, Sacramenta negentur. 3. Posito, quod usque ad Imperatoris responsum, PP. Pehinensibus datum, supradictis tum Bacchalaureis, tum Præfectis Societas Sacramenta negaverit, num modò permittat, quę antea prohibuerat? Cantone die 7. Novembris 1701.

RR. Vestrarum

Minimus in Domino Servus Artus Episcopus Rosaliensis Vic. Apost. Provinciæ Su Chuen.

Ex qua Epistola etiam videri alicui possit, Illustriss. hunc D. non penitus contemnendum putasse in China decretum Imperatorium, sicut id jam contemnit Romæ.

526 Denique Illustriss. D., postquam dixit, se demonstraturum esse certissimis argumentis, ubi opus fuerit, permissionem illam rituum solemnium Confusii factam à Jesuitis, ait satis fore, adduxisse testimonium Patris Le Faure, qui ubi generatim affirmavit, permissum non esse Neophytis, ut illis vel per meram assistentiam se immiscerent, subjicit *hanc exceptionem*: *absque proportionata Causa, quæ paucissimis, & rarissimè occurrit*. Atque hoc testimonio ita adducto pronunciat Illustriss. D., Patrem le Faure clarè iis verbis fateri, aliquando permitti. Tum arguit Illustriss. D. Sardinium, Iesuitarum in Curia defensorem, quòd prioribus Patris le Faure verbis relatis, subsequentia apposito solùm *&c.* missa fecerit; arguit etiam Iesuitas, quòd ne suspicio aliqua ex isto *&c.* oriretur, illud in alio scripto resecuerint, ac demum ita concludit. *Atque hujusce generis, ne quid amplius dicā, calliditatibus causam Societatis coram Sancta Sede tueri, & promovere conantur.*

328 Re-

527 Respondemus, videri nobis cum bona venia Illustrifs. D., quòd talia ejus dicta referre, sit ea abunde refellere. Adeo scilicet ibi, ut nobis quidem videtur, prodit se infirmitas argumentorum, quæ sibi ad eam rem demonstrandam suppetere affirmabat, ut ad meros cavillos recurrere coactus sit, nulla etiam habita ratione personæ gravissimæ, & ab illis alienissimæ *calliditatibus*, quas eidem simul, & Jesuitis impingere coram Sancta Sede non veretur. Quasi verò dubia cuique esse possit exceptio, quam subjecit Pater le Faure, ipso referente Illustrifs., qua nimirum conceditur, ut quis *illis ritibus per meram assistentiam se immisceat cum proportionata causa, quæ paucissimis, & rarissimè contingit.* Cùm similis concessio assistentię purè materialis sine ulla cooperatione in ipsis etiam indubitatis Sacrificiis ex Sacra Scriptura in exemplo *Naam* habeatur, & decretum Alexandri VII. super quæsita Martinii expresè dicat, posse Christianos assistere tantùm cum gentilibus, quando faciunt superstitiosa, præsertim &c.

NOTÆ

In Articulum excerptum ex Tractatu R. P. Francisci Varo De sensu litteræ Chj

528 NOn ita novus nobis accidit hic articulus; cùm ad eum jam ante annos aliquot pluribus responderit P. Franciscus Philippuccius in suo tractu à nobis relato Summ. n. 6. litt. PP. lib. 1. art. 5. ubi etiam refert verba P. Varo in hoc ipso suo tractu sic loquentis: *El mejor Interprete de las voces Sinicas es el Chino; melior interpres vocum Sinicarum est ipse Sina*: & loquentis de P. Brancati: *no tiene autoridad ni fuerza su dicho, que es dicho de Europeo, que aquj no tiene fuerza: non habet authoritatem, nec vim ejus assertio, cùm sit assertio Europei, quæ hìc nullam habet vim*. Poterat Author Observationum hæc Reverendifs. P. Varo verba sibi applicare, qui suæ, & Illustrifs. Cononiensis assertioni in hac materia majorem fidem vult haberi, quàm publicæ ipsius Imperatoris Sinici declarationi, cum præcipuis Imperii Litteratis contrarium testantibus, & millenis etiam juratis Sinensium testimoniis. Ut nihil dicamus de pluribus Sinensium Litteratorum tractatibus, contra eam, quam R. P. Varo litteræ *Chj* attribuerat, significationem conscriptis, quos tractatus hìc habemus.

529 Dicit in hoc suo tractatu P. Varo, quòd *Societatis Missionarii omnes, tum veteres, tum recentiores eandem denominationem (Sacrificii his litteris Chj Cu) tribuerint, & etiamnum tribuant, ex eoque solùm tempore, quo in lucem editi sunt illi duo tractatus Patrum* (le Faure, & Brancati) *hæc oblationis honorificæ, politicæ, & civilis ex-*

phi-

plicatio affingi caeperit. Hæc evidenter falsa esse patet ex ipso Alexandri VII. Decreto, quod longè anteceßit scripta duorum illorum Jesuitarum, in quo hæ ipsæ oblationes ut politicæ describuntur, & à Summo Pontifitifice permittuntur, qui utique ibi defunctis offerri Sacrificia non permisit. Sed ante illa etiam tempora P. Semedo pag. 101. cùm has Sinicas oblationes aliquando Sacrificia vocasset, declarat, in quo sensu id sit accipiendum, dicens: *non sono Sacrificii, ma offerte, e pure Ceremonie*: *idest, non sunt sacrificia, sed oblationes, & puræ Ceremoniæ*. Imò ante P. Semedo hanc eandem declarationem hujus vocis *Sacrificium* à se aliquando usurpatæ, adhibuit ipse P. Riccius, qui libro 4. capit. 6. hæc habet: Solemne in diem quemdam
„ Confusio Litteratorum Principi Sacrificium parabatur, si tamen Sa-
„ crificium appellari potest, quod ipsi non ut Numini, sed ut Magistro
„ offerunt. Sacrificium ideo vocatur, quòd id nomen apud Sinas la-
„ tiùs pateat &c. plura similia ex aliis referri possent.

530 Secundò dicit R. P. Varo: hanc propositionem *Chy yn* offerre *chy*
„ hominibus vivis in nullo Sinicorum, quos legi, librorum; neque in
„ ullo dictionario reperi, neque ab ullo Sina prolatum audivi.
„ Respondit jam ad hæc P. Philippuccius loc. cit. Credibilis tandem hęc
„ una veritas à P. Varo asserta est, scilicet, quòd ipse in Sinicis libris,
„ ac vocabulariis numquam viderit, nec ab aliquo Sinensi audierit hāc
„ doctrinam *Chy yn*. Sed pace tanti viri, hæc veritas insanabile illi
„ vulnus infligit, cùm enim ipse non paucos Sinicos legerit libros, ut
„ disertè asserit in tractatu de Sinicis controversiis part. 1. cap. 3. art. 1.
„ in explicatione litteræ *Miao*, maximè dignum admiratione videtur,
„ Patrem Varo tot textuum, à nobis adductorum, & in obviis, tritisque
„ libris extantium sensum minimè percepisse, ideoque eos haud intel-
„ ligenter se legisse, tam intrepide affirmare non dubitasse.

531 Quod verò ad reliqua attinet, quæ in hoc articulo ex P. Varo referuntur, cùm ad ea tum in aliis nostrorum libris, tum etiam in nostris notis ad primam observationem cap. 2. responsum jam sit, ea hîc repetere necesse non videtur.

532 Potissimum, quod P. Varo urget, argumentum est, quòd ipsi Patres Societatis in suis cathechismis doceant, oblationem *cy* nec Beatissimæ Virgini, nec ulli Sanctorum offeri posse.

Respondemus: nobis planè non apparere, quid inde pro sua sententia R. P. Varo deducere possit, vel quomodo probare velit, in sententia Iesuitarum oblationem *cy* Beatissimæ Virgini, vel Sanctis posse offeri. Vel enim R. P. litteram *cy* vult accipere in eo sensu, quem communi usu apud Sinas in eorum libris habet, & de quo hîc solùm agitur, vel in eo sensu, ad quem hanc vocem deinde Ministri Evangelii, ubi tractarunt de Mysteriis fidei, specialiter applicarunt, more ubique gentium recepto, quando nova mysteria annuntiantur, quæ proprium sibi in illa lingua nomen nec dum habent. Si primo sensu apud Sinas in eorum libris usitato hanc vocem *Chy* usurpet, ista apud illos

 signi-

significat certas quasdam, illorum libris præscriptas oblationes; aliquando politicas, aliquando religiosas, quales scilicet vel nobilioribus hospitibus, vel Magistratibus benemeritis, vel progenitoribus,& Magistris defunctis, vel etiam spiritibus Sinicis, aut demum ipsi *Xang ty* fiunt. Nullo ex his sectæ Litterariæ ritibus coli vel Beatissima Virgo, vel Sancti possunt; neque enim hi ritus ad Sacros Sanctæ Legis ritus spectant.

533 Quòd si verò R. Pater de littera *Chy* in eo sensu loquatur, ad quē specialiter, & recenter fuit applicata à Prædicatoribus Sanctæ fidei tunc, cùm Mysteria fidei explicant, & in Catechismis: Hæc littera ab illis nunquam fuit applicata, nisi ad Sacrificium Missæ, sicut vox latina Sacramentum in Mysteriis Fidei non fuit applicata, nisi ad septem novæ legis Sacramenta significanda. Hoc autem sensu utique nec P. Varo dicet *Chy* posse offeri B. Virgini.

534 Cæterùm videtur hoc argumentum P, Varo simile illi, quo quis diceret: si apud latinos vox *Sacramentum* significat *Mysterium*, quomodo & omnes Catechismi dicunt, & ipsa Concilia definiunt, in nova lege non dari nisi Septem Sacramenta?

535 Non credimus autem, adversarios pluries in superioribus manifesti erroris circa factorum, ad hujusmodi ritus pertinentium, narrationem convictos, velle denuo ad effugium aliàs tentatum recurrere, dicē do, eos ritus ex natura sua, & intrinsecè malos esse, ac inter oblationes religiosas recenseri debere, sin minùs ex institutione humana, saltem ex divina. Hæc enim omnia alibi fusiùs refutata sunt, & expressè contradicunt Decreto Alexandri VII., in quo iidem, de quibus nunc quæritur, ritus permittuntur.

NOTÆ

In Observationes Illustrissimi D. Maygrot Episcopi Cononensis &c.

536 CUm totus hic libellus fere aliud non contineat, nisi ut pluribus aliqua exponat, quæ in aliis Observationibus ad declarationem Imperatoris (quas Illustriss. D. Cononensis suas etiam esse dicit pag. 1. & 2. hujus sui libelli) strictim referuntur, videtur, ad hūc pariter libellum satis superque responsum jam fuisse in præcedentibus nostris ad prædictas contra declarationem Imperatoris observationes notis, præcipuè cùm unicum fere hujus libelli argumentum sit, ut Sinas Atheos simul, & Idololatras esse ostendat, de quibus satis multa in antecedentibus jam diximus. Breviter tamen, quantum tempus permittit, circa præcipuas hujus etiam libelli partes aliqua annotabimus.

537 Imprimis præmittitur *monitum* aliquod, quo dicitur, Procuratores

res Societatis in libello P. Pekinensium in editione Europæa aliqua emendasse;

Respondemus id verum non esse. Originalia authentica ex China missa in manu SS. D. N., & Sacræ Congregationis de Propaganda Fide sunt, & cum his Europæa impressio conferri poterit, invenieturque ad verbum correspondere, correctis solùm in Europæa impressione paucis illis, quæ in Sinica ad finem libelli inter *errata corrigenda* more solito, & folio in China quoque impresso, addita erant; & hæc ipsa errata pauca, & ad substantiam præsentis controversiæ planè nihil facientia sunt; unde notare liceat facilitatem adversariorum in fingendis, & absolutè affirmandis illis, quæ ab omni veritate tam aliena sunt.

538 Deinde defert Illustrissimus Cononensis ad S. Sedem illum PP. Pekinensium libellum, ut pote cujus doctrina meritò suspecta esse possit.

Respondemus; quæ sit doctrina Patrum Pekinensium circa agnitionem, & qualemcumque cultum supremi alicujus Entis inter Sinas (de his enim libellus ille agit præcipuè) in notis ad caput primum observationum in declarationem Imperatoris, ac præcipuè in notis ad observationem primam & quintam satis exposuimus, nec aliud restat, quàm ut & nos pariter Sanctæ Sedis judicium imploremus, ut discernat, quænam sententia potiùs suspecta sit dicenda, an ea, quam ibi exposuimus? an verò ea, quam Domini Adversarii palàm profitentur, quæ scilicet est, eosdem Sinas simul & atheos, & idololatras esse; totam item nationem Sinicam per centenos, & millenos annos ita constanter excæcatam fuisse; ut nullam penitus Supremi Numinis notitiam habuerit, & in tota lingua Sinica ne unum quidem nomen inveniatur, quo Sinenses Deum Opt. Max. significaverint, & insuper omnes aliarum regionum & ætatum idololatras, perinde ac sinas vere atheos extitisse.

NOTÆ
In Partem Primam.

539 IN hac parte multifariam reprehendit Illustrissimus D. P. Pekinenses circa ea, quæ illi de *Tien Tan*, seu eo, quòd apud Sinas est, Cœli templo referunt, in pluribus tamen potiùs ipse corrigendus videtur. Nam 1. ait, in multas Confusii aulas (Templa ille vocat) inductas fuisse statuas, dissimulat tamen interim, easdem statuas iteratis legibus fuisse jussas tolli, ac revera ablatas, itaut, sicubi fortè aliquæ supersint, id contra ipsam legem, & doctrinam Sinarum fiat: nec certè Confusio oblatio fit coram ejus statua, sed coram tabella habente inscriptum nomen Philosophi.

540 Secundo: ait in *antiquis Sinarum libris* nullum inveniri vestigium templi alicujus ad sacrificandum Cœlo destinati. Hujus asserti falsitas abundè ostenditur ex Commentario in librum *Xi King* cap. *Cheu cum*, ubi sic dicitur: *Imperator V U. VANG*, inquit cap. *yo Ki devi-*

sto poste CHEU sacrificavit (*Xam Ti*) *in aula Sinicè dicta MING TANG*. Item lib. *Sin. Lun* ait: *Imperator XIN NUNG sacrificavit in MING TANG & ei Imperator HOAMTI*, (inquit lib. *Tum tien*,) *adorabat XAMTI, & ei sacrificabat in MIM TAM, erat locus ad sacrificandum* (nempe *Xam Ti*) *& ab antiquissimis temporibus sic fuit*. Hactenus Commentarius. Unde patet, juxta antiquos Sinarum libros aliquod templi ad sacrificia Cœlo, seu *Xan Ti* offerenda vestigium inveniri.

541 Tertiò Judicat Illustrissimus D. artem statuariam cum Secta *Foe* in Chinam introductam fuisse, id est aliquot annis post Christum natum, quantum autem in hoc erret, patet ex libro *ly Ki* c.4. ubi ipse Confusius, qui 500. circiter annis ante Christum vixit, agit de ligneis hominum statuis, quæ binæ, & binæ ad comitandum funus adhibebantur.

542 Quartò Aliquoties arguit contra Patres Pekinenses, quòd illi inscriptiones aliquot malè vertant, idque conatur ostendere ex inscriptionibus Sinicis, cùm interim ex ipso libello manifestum sit, Patres Pekinenses ibi ponere versiones inscriptionum Tartaricarum; deinde improbando versiones illas, non tam Patres Pekinenses; quàm ipsos Litteratos Sinenses corripit, qui in utraque lingua versatissimi, versiones inscriptionum Sinicarum in Tartaricas ex mandato Imperatoris fecerunt; meritò autem supponere licebit, illos Litteratos meliùs genuinum inscriptionis Sinicę Sensum assecutos fuisse, quàm fortè ipse Illustrissimus Dominus intelligat.

543 Quintò Reprehendit prętere a Patres Pekinenses, quòd illi conformiter inscriptioni Tartaricæ verterint illam inscriptionem, *Supremus Cæli Dominus*, referendo vocem *Supremus* ad vocem *Dominus*, non verò ad vocem *Cœlum*, cùm tamen Illustrissimus Dominus dicat, juxta inscriptionem Sinicam litteram *Hoang* referendam esse ad *Cœlum*, non verò ad *Supremum Dominum*. Interim tamen ipsemet hujus suæ doctrinæ brevì oblitus, mox sequenti pagina similes voces Sinicas eodem modo vertit, dicendo, *Magnus Cæli Dominus*; idem postea inscriptionem *Hoang Ti Kj* vertit, *Regius terræ Spiritus*, literam Sinicam *Hoang* potiùs attribuendo voci *Spiritui*, quàm voci *terræ*.

544 Sextò dicit: Litteram *Kien* præcisè determinatam esse ad solum Cœlum materiale significandum, cùm tamen & liber *Sing Ly ta ciuen*, & liber *ven Hien Tung Cao* eam etiam pro appellatione *Xang Ti* usurpent, quòd autem per appellationem *Xang Ti* Sinæ non præcisè intelligant Cœlum materiale, nec ipse Illustrissimus D. negat, ut ex eodem ostendimus in nostris notis ad primam observationem capitis primi superioris libelli.

545 Plurima similia annotari possent, in quibus non leves quandoque vel contra intelligentiam litterarum Sinicarum, vel contra eruditionem errores committuntur.

546 Quod

546 Quòd præcipuum hujùs capitis eſt, oſtendere conatur ejus Author, Sinas variis ſuperſtitionibus, & idololatriis eſſe deditos, adeoque neutiquam poſſe dici, Deum vivum, & verum ab illis vel cognoſci, vel coli. Ad quòd cùm pluribus Superiùs jam reſponderimus, ea hîc repetere non credimus eſſe neceſſe.

547 Certè nobis ex eo ipſo indubitanter ſequi videtur, quòd aliqua natio Idola colat, eam non adeò atheiſmi tenebris immerſam eſſe poſſe, ut non ſaltem aliquam divinitatis, quantumvis obſcuram, notitiam habeat; quàm malè item omnes interpretes Sinas Domini Adverſarii ita atheos faciant, ut eos nullam penitus Dei notitiam habuiſſe oſtendere in ſuis ſcriptis contendant, quo item ſenſu Societatis Scriptores interpretes Sinas atheos vocarint, ſingula in ſuperioribus expoſuimus. Certè P. Riccius lib. 1. cap. 10. pag. 105. de litteraria inter Sinenſes Secta expreſſis verbis aſſerit: litteratorum Secta *unum Numen veneratur, ideo, quòd ab eo conſervari, gubernarique hæc inferiora omnia arbitretur*.

NOTÆ

In Partem Secundam.

548 IN hac parte agitur de quibuſdam odis decantatis in Cæli ſacrificiis, quæ cùm aperte indicent divina aliquot Attributa, quæ Sinæ ſupremo Domino *Xang Ti* adſcribunt. Primò Illuſtriſs. Cononenſis ait, hæc à Sinenſibus non aliter attribui Supremo Domino, quàm quomodo ſimilia quondam prædicata à cęcis gentilibus *Jovi*, aut uni ex diis gentium attribuebantur.

549 Reſpondemus: Quanta inter Sinenſium *ſupremum Dominum*, & inter gentilium *Jovem* diſparitas intercedat, jam toties oſtenſum fuiſſe. Vox *Jupiter* ex ſua vi ſignificandi immediatè alium conceptum non parit, quàm individui cujuſdam, ac ſingularis hominis, & hinc utique ea divino Numini ſine impietate applicari neutiquam poterat. Vox verò *Xang Ti*, ſeu *ſupremus Dominus*, ex ea, quam apud omnes Sinas habet, ſignificatione, aliud immediatè non ſignificat, niſi ſupremum aliquem Dominum, qui ſumma poteſtate omnia gubernet, quod cùm ſoli Deo competat, non immeritò eadem illi compellatio attribui poſſe videtur, ut toties alibi oſtenſum eſt.

550 Secundo contendit Illuſtriſs. Dominus, quòd à Sinenſibus per vocem *Xang Ti* non intelligatur, niſi æterna aliqua, & materialis virtus, quæ rebus omnibus inſit, cui cùm Sinenſes intellectum, providentiam, & alia ſimilia attribuunt, hæc omnia nonniſi Metaphorico in ſenſu ab iiſdem dici, & intelligi. Hoc tamen quàm alienum ſit à vera Sinenſium doctrina, pariter ſuperiùs ſatis, ut nobis quidem videtur, oſtenſum eſt.

551 Arguit autem etiam Illuſtriſs. D. PP. Pekinenſes erroris alicujus,

quò d dixerint, nomina *Progenitorum* simul adesse, cùm Imperator Cælo sacrificat. Ipse enim asserit, non plurium, sed unius solùm progenitoris nomen semper apponi. In hoc tamen decipitur; nam liber *Ven Hien Tung Cao* refert, etiam duorum nomina fuisse adhibita, Conditoris scilicet familiæ, & vicinioris Avi. Item liber *Ta Ming Hoei Tien* duos quandoque adjungere invenitur.

NOTÆ

In Tertiam Partem.

552 HÆc pars, quamvis satis fusa, tota est in vertendis aliquot oblationibus, vel sacrificiis, quæ in libro *Ta Ming Hoei Tien* habentur pro Cęli, Terræ, Solis, Lunę, Montium; Fluminum, & aliis spiritibus.

Respondemus. Multi ex his spiritibus sunt, qui certè in libris Classicis non reperiuntur, ut *Ki To Xin* spiritus vexillorum, & *Chin Hoang* Spiritus Mænium; adeòque non omnia, quæ ibi referuntur, antiquæ Sinarum doctrinæ sunt conformia, nec etiam à plerisque Litteratis, qui veram Litteratorum sectam se sequi etiamnum profitentur, approbantur.

553 Deinde ad quid ista omnia referuntur? an ut ostendat Illustriss. D., Sinenses varias superstitiones, & idololatrias habere? id equidem quis negat, vel quis unquam similia approbavit? Ex his tamen non sequitur, non posse simul eosdem Sinas agnoscere, juxta veram antiquorum suorum doctrinam unum supremum Numen colendum esse, ut etiam in superioribus jam ostendimus.

NOTÆ

In Quartam Partem.

554 HIc agit Illustriss. Dominus de Templo, in quo Terræ, seu Dominatori terræ sacrificatur; Objectum cultus in hoc Templo, juxta genuinam Sinarum doctrinam, dicunt PP. Pekinenses idem esse, quod est in Templo *Tien Tan*, seu ubi Cælo sacrificatur, quia id ita testatur ipse Imperator cum pręcipuis Imperii Ministris, ac ipsis etiam horum locorum Custodibus, idque omnino invenitur in ipsa Sinensium doctrina, Confucii maximè. Negat hoc tamen Illustriss. Cononensis, & duo distincta coli numina contendit, quorum alterum *Heu Tu*, seu Regina Terrę appelletur. Respondemus, hanc imprimis quæstionem ad præsentem controversiam parùm, vel nihil facere, eam tamen nos in nostris notis ad secundam observationem capitis primi superioris libelli, satis, ut nobis videtur, exposuimus.

555 Arguit insuper Illustriss. D. PP. Pekinenses, quòd exponentes in-

scrip-

scriptionem illarum tabellarum, non dixerint; addi ultimas duas literas *Xin guei* quæ in illis tabellis ponuntur; & *spiritus præsentiam*, seu *sedem* indicant, & ut ipse dicit, *in ejusmodi tabellis nunquam desunt*.

556 Respondemus: cum venia Illustriss. Domini dictum sit, eum in hoc iterum non leviter hallucinari; ille enim litteræ *Xin Chu*, vel *Xin Guei* in tabellis, quæ ponuntur Cæli, & Terræ Spiritui, nullatenus adduntur; in tabellis verò, quæ aliis spiritibus ponuntur, solùm additur *Xin* sine littera *Guei* vel *Chu*, uti videri potest in libro *Ta Ming Hoei Tien*, ubi harum tabellarum imagines exhibentur.

557 Multò magis adhuc erratur, dum Illustriss. D. contendit, ipsum Confucium existimasse, rerum omnium agendarum regulam in materiali aliquo, & corporeo principio consistere, seu in prædominante semper Cœlo congenita virtute *Ly*, cùm passim ipsimet Sinenses fateantur, quòd ista explicatio, quæ fit per prędominantem virtutem *Ly*, seu potiùs per *Rationem*, tantùm cœperit sub Imperio familiæ *Sung*, Ipse verò Confucius claris verbis indicat, dari intelligentissimum totius mundi gubernatorem.

NOTÆ

In Quintam Partem.

558 PAtres Pekinensis posuerant in sua brevi relatione, cerni in plurimis Sinensium ædibus tabellam scriptam his vocibus, *Cæli, Terræ, trium Regionum, decem plagarum, omnium entium intellectualium verus Dominus*, eamque ingerere aliquam supremi omnium rerum Domini cognitionem, & esse antiquæ apud Sinas Dei notitiæ monumentum.

559 Illustriss. Cononensis, ut hæc etiam impugnet, quamvis fateatur, se nescire, unde re vera illa tabella veniat, ait tamen, se non dubitare, illam inscriptionem attribui vel cuidam prisco Viro *Lao Kiun* Sectæ *Tao* auctori, vel alteri ejusdem sequaci *Cham y* dicto.

560 Respondemus, aliud à P. Pekinensibus non asseri, quàm similes inscriptiones esse veteris apud Sinas Dei notitiæ monumenta, cum quo non pugnat, similia prædicata deinde per summam impietatem ab Idololatris attribui alteri, quod non est Deus, sicut antiqui gentiles etiam prædicata divina suis Idolis attribuebant, Interim etiam in nostro ultimo Summario complures Sinenses produximus, qui asserunt, per hæc ipsa prædicata apud Sinenses supremum aliquem rerum omnium Dominum significari; fortè autem illi melius scient, quo sensu ipsorum concives his litteris utantur, quàm sciat Illustriss. D. qui fateatur, se nescire unde illa inscriptio veniat.

NOTÆ

In sextam Partem.

561 PAtres Pekinenses, ut ulteriùs eam, quam Sinæ habent, Dei cognitionem exponerent, retulerunt in suo libello complura dicta, & adagia, tum Litteratorum, tum Plebejorum, & multos librorum Classicorum textus, quibus perspicuum fit, Cælo, seu Cæli Domino divinas perfectiones à Sinis attribui; hæc ut more suo refelleret Illustriss. Cononensis, vel reducere conatur ad Cælum materiale, vel ubi id non potest, ait esse meras Metaphoras, nullis tamen rationibus id probat, nisi quòd recurrat ad ordinarium suum asylum de prædominante illa virtute *ly* dicta, quæ tamen ex superioribus satis jam refutata esse nobis videntur.

562 Deinde ponit Illustriss. D. duo generalia principia, genuinæ, & veræ Sinensium doctrinæ minimè conformia. Primum est, quòd dicat, Cælum præsertim suis conversionibus regulam dare bene, ac sapienter agendi: dicere debebat, Cæli Spiritum annuis præsertim temporum revolutionibus exhibere regulam rectè agendi; nam juxta librum *ye King*, & Interpretes, dicuntur istæ cælestes revolutiones fieri spirituali ratione, seu via, nempe à spiritu supremo dominante, & regente, adeoque ista agendi regula reducitur ad *Xang ti* omnium rerum effectorem, & directorem.

563 Secundò ait Illustriss. Cononen., juxta Sinarum doctrinam omnia in Mundo ineluctabili necessitate seu fato fieri; sed & hoc falsum est, cùm Sinę liberum hominis arbitrium expresè agnoscant, ut sępius videre est in lib. Mengcii, & aliorum: Mengcius expresè asserit, vitia non debere tribui defectui potentiæ naturalis, sed voluntatis; atque hinc omnia pariter illa corruunt, quæ Illustriss. D. ibidem deducit ex falso hoc, quod supponit, principio.

NOTÆ

In Serptimam Partem.

464 CUm hæc pars tantùm contineat quædam jam sæpius dicta, tum circa Imperatoris nunc regnantis eruditionem, tum circa pericula totius Missionis, si Confucii, & avorum ritus, in decreto Alexandri VII. permissi prohiberentur, his ulterius non immoramur.

NO-

NOTÆ

In Octavam Partem.

565 IN hac Parte Illustriss. Cononensis expendit ea, quæ PP. Pekinenses referunt initio sui libelli circa quæsita, & libellum supplicem Imperatori Sinarum exhibitum, ejusdemque datum responsum. In primis verò arguit PP. Pekinenses, quòd declarationis hujus regiæ aliud exemplar miserint Romam, aliud sparserint in China.

566 Respondemus: illius, quod Imperator dedit, exemplaris Tartarici copiam cum legitima sua versione, quamprimum fuisse missam Romam; quando verò more Imperii Sinici decretum Tartaricum Imperatoris à constitutis aulicis fuit versum in linguam Sinicam, & toto Imperio divulgatum, hanc pariter Sinici edicti copiam, cum legitima sua versione PP. Societatis Romam misere; hæc verò duo exemplaria, Tartaricum scilicet, & Sinicum quoad sensum inter se penitus concordant, solo stylo, quem diversæ linguæ necessariò requirunt, discrepant, ut adeò non nisi falsa sit accusatio, cùm diversa, vel discrepantia ejusdem Instrumenti documenta esse dicuntur.

567 Secundò ex quibusdam PP. nostrorum dictis arripit occasionem Illustriss. D. loquendi de sanctitate (sic eam vocat) Confucii, & vult illam nihil aliud esse, quàm quæ oritur ex vi indita Cœlo materiali*ly* dicta, & quibusdam hominibus pro eorum dispositione subtiliùs, & abundantiùs communicata; at certè longè alia apud Sinenses doctrina invenitur, qui in virtutibus moralibus describendis toti nonnunquam sunt, & sicut jam aliàs sæpiùs à nobis ostensum est, vox *Xing*; cùm Confusio attribuitur, aliud non denotat; nisi eximiam aliquam Sapientiam, seu insignem vim intelligentiæ; cum virtutibus variis moralibus conjunctam.

NOTÆ

In Nonam Partem.

568 IN hac parte Illustriss. D. cùm non possit effugere clarissima super rebus controversis Magnatum Sinensium Testimonia, conatur ea saltem verbis aliquot obscurare.

569 Primò autem his opponit scripta PP. Longobardi, & in iis aliqua, quæ Doctori Paulo attribuuntur, de Sinarum atheismo verba.

Respondemus, de his & superiùs, & jam sæpe aliàs responsum esse, & uberiùs respondebimus, ubi illa prætensa P. Longobardi scripta autenticè coram Sancta Sede exhibebuntur.

570 Secundò semper supponit, & Imperatorem, & alios Interpretes Sinas in suis scriptis ita Atheos esse, ut nulla in illis penitus Dei notitia

tia

tia appareat; contrarium tamen nos superiùs satis ostendimus.

571 Tertiò conatur P. Pekinenses suspectos reddere, quasi nec illi Magnates Sinas probè intellexissent, nec ipsi Magnates bene intellexissent illos; sed cogitare debebat, se de illis loqui, qui plures jã annos negotia S. Fidei in Curia Pekinensi tractant, & effectu ipso satis hactenus ostenderunt, se in suis negotiis, & intelligere Sinas, & ab illis satis bene intelligi.

NOTÆ

In Appendicem De Regiis Progenitorum Oblationibus.

572 IN hac appendice Illustriss. Cononensis describit ea, quæ in libro *Ta Ming Hoei tien* habentur de oblationibus Regiorum Progenitorum; sed cùm ibi solùm de his oblationibus regiorum Progenitorum agatur, & quidem de multis extraordinariis, imò multis omnino abrogatis, hæc parùm ad præsentem controversiam faciunt, in quibus de Ordinariis Sinarum in communi oblationibus quæritur.

573 Cæterùm in regiis etiam Progenitorum oblationibus nulla bona
„ peti, ipse Illustriss. D. fatetur; Sed an simpliciter nihil sperent, vel
„ petant (inquit) ex odis, quæ in illis sacrificiis recitantur, videri po-
„ test, vellemque, ut RR. PP. nobis explicarent, quid hęc Sinica verba
„ significent; mei me etiam Progenitores auxilio protegunt. Vestrę
„ Animę Bonorum copia fulgent; mihi bona impertitis.

574 Respondemus, revera hæc non haberi in Textu Sinico: ea enim, quæ in prædictis odis dicuntur, ita vertenda sunt: *Vobis mei Avi, & vobis etiam regiæ aviæ ad latus adstantes* (nempe Avorum, vel si quis velit vocem *yeu*, quæ hic ponitur in Textu, explicare per vocem latinam *adjuvare*, dicetur, *regiæ Aviæ adjutrices, aut Consortes Avorum*) *significo Cæremoniam esse completam*.

575 Reliqua autem verba talia non habentur, qualia vertit Illustriss. D. ac de ejus versionibus hoc dici potest, quòd sæpissimè verba Textus Sinici, ambigua, vaga, & incerta, ipse ad suum sensum determinet, & quæ sunt, vel esse possunt præteriti temporis, ea ille sub alio tempore exponat, ita ut appareat oratio, ubi plerumque solùm est narratio; Phrasis insuper latina sæpe non correspondet Sinicę, non rarò etiam quædam verba paulò obscuriora transilit, aut in eorum versione errat. Sed quidquid de his sit, ipse Illustriss. fatetur, has odas non esse, nisi Compositiones Poëticas, fabulosis, Poetarum more, locutionibus plenas, quod ergo inde fundamentum peti poterit? Interim nos in superioribus, ac pręcipuè in notis ad observationem 3. capitis secundi superioris libelli satis ostendimus, nullam à Sinensibus cognosci in Defunctis potestatem, nec quidquam ab illis juxta Doctrinam literatorum, vel peti, vel sperari.

FINIS.

P. S.

PRæter ea, quæ in ultimo noſtro Summario exhibuimus, variarum Chinæ Eccleſiarum teſtimonia, advenere inſuper nuperrimè alia duo, idem conteſtantia Chriſtianorum Civitatis *Cham Xo* Provinciæ Nankinenſis, ubi ſubſcribunt quinquaginta teſtes jurati, & Chriſtianorum oppidi *Tay Cang* ejuſdem Provinciæ,ubi ſubſcribunt quinquaginta ſex teſtes jurati, quæ ambo teſtimonia cum verſione latina, approbata & ſubſcripta ab Illuſtriſſimo Epiſcopo Nankinenſi ad pedes SS. D. N. attulimus, & ſemper exhibere parati erimus.